Anti-bellarmino-tortor,

siue

Tortus Retortus

&

Iuliano-papiſmus.

Et

THESES confirmatæ doctrina antiquorum Symbolorũ, & Patrum Græcorum & Latinorum teſtimonijs, quibus probatur adorationem Paparum per Oſculationem Crucis Sandalio pedis aſſutæ, & lagani Miſſalis leuati ſupra caput Papæ miſſificantis, & in ſolenni pompa equo albo vecti, & adorationem imaginis Dei Patris Infulis Pontificijs amictæ, eſſe Arianam creaturæ adorationem, Anthropolatriam, Necrolatriam & Ethnicam idololatriam, & imitationem Iuliani Apoſtatæ, qui ſe cum Idolis ſuis à Chriſtianis militibus in Labaro militari adorari fecit:

Proſereniſſimo, potentiſſimo, piiſſimoq́, Principe, IACOBO *Dei gratia Brtan. mag. Francie & Hybernie Rege, Apoſtolicæ & Catholicæ antiquæ Fidei Defenſore & Propugnatore.*

Contra Laico-cardinalis Bellarmini mendacem, blaſphemam & malignam comparationem ſereniſſimæ Regiæ Maieſtatis cum Iuliano Apoſtata.

Ad excellentiſſimum, benigniſſimum, piiſſimumq́, Principem HENRICVM, *Dei gratia Walliæ Principem, &c.*

Per IOANNEM GORDONIVM Scotobritannum, ſacræ Theologiæ Doctorem, & Decanum Eccleſiæ Cathedralis Sarisburienſis in Anglobritannia.

LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1612.

Ad Bellarminum

De titulo Bellarmino-tortoris.

Cultores Christi vexarunt tempore prisco
Tortores, *Domini vt dogmata vera negent.*
Iudex qui innocuos tormentis præcipit angi,
Immanis Tortor *nomine reá cluet.*
Papæ es Quæsitor, *qui legis dogmata Christi*
Tormentis cogis linquere Christicolas.
Hinc ergo Tortor *dicaris nomine digno,*
Danda etenim factis nomina digna tuis.
In Regem torques lethali tincta veneno
Spicula; es hinc Tortor *ferreus, atque ferus.*
Scripturas torques à vero ad dogmata falsa,
Sume hinc Tortoris *nomina vera tibi.*
Iure ergo triplici Tortor *ratione voceris,*
Cardineo titulus debitus hic petasso.
Heus, ne excandescas, titulus triplici iste Corona
Debitus est Papæ, qui Deus ipse tibi.
Ille est Tortorum *princeps, qui torret in igne*
Purgante, ob lucrum tot miseras animas.
Hoc ergo nomen cum nomine iunge priore,
Nam bello, ac armis conuenit, atque minis.
Opto tibi vt melior veniat sententia menti,
Vtá Deo & Regi te fateare reum.

EPISTOLA DEDICATORIA,

AD

EXCELLENTISSIMVM, BENIGNISSIMVM, PIISSIMUMQUE Principem, Henricum Dei gratia *VValliæ Principem, &c.*

IPer magni Regis patris ter maxima proles,
Aurea quem decorat gloria missa polo:
Qui stirpē superas animis, virtutibus annos,
Et decus, & sortem moribus eximijs:
Te ter fœlicem clamat vox dia popelli,
Et patris, & patriæ spem, columenque vocat.
His quamuis fœlix, multo at fœlicior hoc es,
Quòd tanto, & tali sis genitore satus;
Exemplo, & monitis rectæ quæ semita vitæ
Qui docet, & fœlix qua ratione sies.
Accipe, mente æqua, documenta hæc relligionis,
Vnde salus animæ certa petenda tuæ.
Illa fidem veram monstrant patrisque, tuamque,
Qua sancta colitis relligione Deum.
Quæque tuum in patrem torsit mendacia tela
Cardineus Tortus, tortiloquusque draco:
Tela eadem hoc libro sunt cum ratione retorta

Contra os mendacis falſiloquiq́ue viri.
Defendit Patris famam, nomenq́ue, fidemq́ue,
Exiguis elegis noſtra Thalia tui.
Illa tuenda tuis ſunt Princeps maxime factis,
Hinc quærenda tibi gloria, fama, decus.
Pro binis pugna patribus, pro Rege, Deoq́ue:
Qui Regem lædit, lædit & ille Deum.
Viuite fœlices ambo, natuſq́ue, pateréque,
Qui colitis vera relligione Patrem.
Sic tali nato fœlix pater, & patre natus,
Sicq́ue pater patriæ fauſtus vterque cluet.

Celſitudinis tuæ humilimus ſeruulus

Io. Gordonius.

Theſes quæ hoc libro teſtimonijs *Patrum Græcorum & Latinorum confirmantur.*

Theſis prima.

PApa ſe adorari facit per oſculationem imaginis Crucis ſandalio pedis aſſutæ; Cruci verò eiuſque imagini papadoxi Doctores adorationem latriæ attribuunt, & hac techna Papa ſe ad inſtar Dei adorari facit; eſtque huiuſmodi adoratio Ethnica idololatria, & Ariana Creaturæ adoratio, & Neſtoriana Anthropolatria; Papa ergo eſt Iuliani Apoſtatæ imitator, qui ſe cum idolo ſuo adorari facit; eſtque Archiapoſtata, qui in templo Dei ſedens latriam Dei ſibi vſurpat, de quo Paul. Apoſt. 2. Theſſ. 2. cap. Vnde ſequitur, Bellarminum (ſi verè Chriſtianus eſſe vult) debere Deo, & Domino ſuo Papæ perſuadere, vt à tam horrenda idolomania abſtineat, agnoſcatque ſeipſum à Chriſtiana pietate defeciſſe, Regi pijſſimo Iuliani technas imputando.

Theſis ſecunda.

QVando hoſtia eleuatur ſupra caput Papæ miſſificantis, & quando equo albo ante Papam vehitur in ſolenni pompa, populus Papam & hoſtiam ſimul adorat, adeo vt Papa, Iuliani more, ſimul cum idolo ſuo adoretur. Debuit ergo Bellarminus Papam Dominũ, & Deum Cardinalium comparare Iuliano, & non ſereniſſimum Regem, qui Papæ & Hoſtiæ a-

dorationem condemnat vt Ethnicam, Arianam idolatriam, & Neſtorianam Anthropolatriam.

Theſis tertia.

RAtiones quibus Papana ſchola probare nititur, lignum Crucis eiuſque imaginem adorari debere, ob contactum corporis Chriſti, & hoſtiam Miſſalem latria adorandam, quòd contineat in ſe Chriſtum Deum & hominem; ſunt Neſtorianæ blaſphemiæ: & Crux, atque hoſtia ſunt idola, quæ ſecum adorari faciunt Papæ. Debuit ergo Bellarminus comparare Iuliano Papam Dominum, & Deum ſuum, & non ſereniſſimum, pijſſimumq; Regem, qui Crucis & hoſtiæ adorationes idolomanias, gentilicas, & hæreticas eſſe credit.

Theſis quarta.

PApæ in blaſphema imagine Trinitatis, Deum Patrem infulis Pontificijs amictum pingi, & fingi faciunt, & cathedra ſedentem, & triplicem coronam geſtantem ad inſtar Paparum; adeo vt Papæ ſuas imagines pro Deo Patre adorandas, in Templis erigant, & Iuliani fraudem longè ſuperent.

Theſis quinta.

ARgumenta quibus Genebrardus Theologus Pariſienſis nititur confirmare, adorationem Papæ per oſculationem pedum, ſunt meræ nugæ, & impoſturæ Papanæ.

PRÆ-

PRÆFATIO AD

Bellarmino-tortorem.

BEllarmine, pium in Regem fera toxica linguâ
Torsisti, Torti nomine tortiloquo:
Vt Regem innodes, torsisti retia bina,
Hæreseos crimen iungis Apostasiæ.
At tua sunt technis malè retia torta malignis,
Hæc Ratione eadem fila retorta cape.
In Regis nomen torsisti tincta venenis
Tela, at aculeolis hæc rationis egent.
Hem tibi nunc eadem hæc acie rationis acuta
In teq́ & Dominum tela retorta tuum.
Quòd Regem sanctum diro assimilas Iuliano,
Qui liquit Triadi quam dedit ore fidem:
Competit hoc meliùs Papæ: namque vt Iulianus,
Contempsit Triadi quam dedit ore fidem.
Ergo tuum Papam diro assimila Iuliano;

Sozomenus hist. Eccles. lib. 5. cap. 1. & 2. narrat Iulianum statim ab initio imperij, à fide Christiana & baptismo defecisse ad ethnicam idololatriam.

De Iuramento baptismi Tertull. libro ad Martyres, cap. 4. Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Vbi annotat Renanus: Sacramentum hic iusiurandum est, quo baptismum suscepturus Christo se obligat. Hieronymus ad Heliodorum: Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in Sacramenti verba iurasti. Vide Basilium de Spiritu sancto, cap. 27. pag. 174. Vbi docet: Quod sicut in solo nomine Trinitatis baptizamur, & in solam Trinitatem credimus, sic solam Trinitatem adorare debemus. Epiphanius lib. 3. pag 415. edit. græc. ait, quod sola Trinitas reuelat ei qui veritatis cognitionem habet, illam solam adorandam, sicut in illius solius nomine baptizamur. Ex his testimonijs sequitur Papam violare iuramentum & fidem baptismi, quia latriâ adorare facit Crucis imaginem assutam sandalio pedis vnà cum seipso, vltra sanctam Triadem, quam solam adorare astringimur iuramento baptismi. Ergo Papa periurus Apostata à fide baptismi, imitator Iuliani, qui baptismi fidem violauit, & ad ethnicam creaturarum adorationem defecit.

Non

Non Regem, cuius non temerata fides.
Conueniunt Papæ, & Iuliani immania facta;
Hæresis in Papa est fœtida colluuies:
Sicut Christicolas Iulianus presit & anxit,
Quòd veri colerent Numina sola Dei:
Sic nos diuexant Papæ, quia numina facta
Nulla colenda pijs credimus esse viris.
Papæ ergo similes Iuliano immanibus ausis;
Christi hostes ambo sunt ratione pari.
Vt te mendacem recta ratione probemus,
Bellarmine, Patres quid docuere, damus.
Vnde patet Papas imitatores Iuliani
Esse, & Catholicam deseruisse fidem.
Vlla tibi propriæ si menti cura salutis,
Desere mendaces mente tremente strophas.
Tu Deus Alme meam, titubet ne, dirige gressum;
Infunde & menti dogmata vera meæ.

THESIS

THESIS PRIMA.

PApa se adorari facit per osculationem Imaginis Crucis sandalio pedis assutę; Cruci verò eiusque imagini papadoxi doctores adorationem latreiæ attribuunt, & hac techna Papa se ad instar Dei adorari facit; estque huiusmodi adoratio ethnica idololatreia, & Ariana creaturæ adoratio, & Nestoriana Anthropolatria. Papa ergo est Iuliani Apostatæ imitator, qui se cum Idolo suo adorari facit; estq; Archiapostata, qui in templo Dei sedens, latreiam Dei sibi vsurpat, de quo Paul. Apost. 2. Thessal. 2. cap. Vnde sequitur, Bellarminum (si verè Christianus esse vult) debere Deo & Domino suo Papæ persuadere, vt à tam horrenda Idolomania abstineat, agnoscatq; seipsum à Christiana pietate defecisse, Regi pijssimo Iuliani technas imputando.

Explicatio Theseos.

GEntilem Papæ renouant idololatreiam,
Dantq; creaturis debita iura Deo:

Greg. Naziani oratione funebri in laudem Basilij, ait, adorationem Trinitatis ego solam pietatem voco, &c. Et ibidem refert Præsidem Valentis Imperatoris Basilium interrogasse, Cur regis non sequitur religionem, licet omnes alij subacti sint & victi. Verùm Basilius respondit, nequaquam hoc Rex meus permittit, neque vt conditura adoraretur tolero, cum Dei conditura existam. Et oratione tertia de pace docet summam Christianæ religionis esse, adorare Patrem, Filium & Spiritum sanctum, in Vnitate & Trinitate, & nihil supra vel infra Trinitatem adorandum: quorum vnum, nempe aliquid supra Trinitatem adorare, esse ἀδύνατον impossibile: alterum verò, nempe quiduis infra Trinitatem adorare, esse ἀσεβὲς impium. Papa ergo qui creatura est, & se facit adorari cum crucis imagine sandalio pedis assuta, quæ est etiam creatura, in eandem cum Arianis idololatriam impingit, & vt imitator Iuliani se cum idolo suo adorari facit.

Vtque coli faciant se magni Numinis instar,
Figunt sandalijs aurea signa crucis.
Hocq; dolo Reges decepti, vt numen adorant
Papam, fœtenti basia dando pedi.
Conueniunt ergo cultu Papa, & Iulianus;
Fraude pari fallunt, ingenioq; pari:
Picta Iouis secum venerari hic numina fecit,
Papa coli secum vult simulachra crucis.
Sic quadrat Papis fallax facinus Iuliani,
Falsa facit secum qui simulachra coli.
Vtque ανδρωπολατρεία Iouis veneratio dira est,
(Namque homo rex Cretæ Iuppiter ipse fuit)
Sic hominis vani falsa est veneratio Papæ,
Oscula prostrato corpore ferre pedi.
Papicolax, legis Iouæ violator, Aquinas
Latreia dictat signa colenda Crucis.
Ille Patrum violat sanctorum dogmata prisca,
Hæreseos quibus est obruta colluuies:
Nestorij renouans insanam anthropolatreiam,
Datq; creaturæ debita iura Deo.
Hic vetus est error Gentilis, signa creata
Qui docuit templis esse colenda sacris.
Par crimen veri, est, seu falsi numinis instar
Pingas, fingasve, ad Relligionis opus.
Numinis vt veri dij falsi nomina gestant,
Sic Crucis effigies nomina falsa gerit.
Illa refert hominem qui vitæ lumine cassus,
Mortuus ast homo non est reputandus homo.
Christus qua passus natura est, & crucifixus,
Est alijs similis conditione viris.
Vt Deus est, colitur proprio cum corpore solo;

Aſt illi quæ vir, cultio nulla datur.
Crux corpus Chriſti tetigit, ſed non deitatem,
Eſt ergo impietas falſa latreia crucis.
Gentilis mos eſt venerari mortua ſigna,
Atque illis oris baſia vana dare.
Barbarus hic fuerat Perſarum gentibus olim
Mos, & honos regum, baſia ferre pedi.
Hunc Dioclesianus primus faſtum intulit orbi,
Qui Chriſti cultus impius hoſtis erat.
Ille pedum gemmis ornans geſtamen & auro,
Præcepit ſoleis oſcula ferre ſuis.
Huius, non Chriſti, verus Papa eſt imitator;
Plus Papæ at faſtus, & feritatis ineſt.
Aſt hominis cultus ſub nomine Relligionis,
Tertullianus ait, dira ſuperſtitio eſt.
Ethnicus eſt error, docet vt dio ore Cyrillus,
Nudum hominem ſiquis relligione colat.
Sic Necrolatreiam damnat, traditq́, Creator
Debeat vt ſolus qua ratione coli.
Ergo Crucis cultus, pedibus quæ conſuta Papæ,
Verè Gentilis Necrolatreia cluit.
Corporis illa refert mortem, ſed non deitatis;
Non homo qua Chriſtus, qua Deus at colitur.
Deſertor fidei Papa ergo, & Apoſtata dirus,
Namque crucis ſecum, vult ſimulachra coli:
Quique crucem violat blaſphema Papa latreia,
Ferre crucis debet tormina ſupplicij.
Vtque leuant Papam Chriſti inſtar, curui, & adorant
Cardinei hunc fratres quum ſibi voce creant:
Rituſq́, hic illis eſt exaltatio Papæ,
In terris Chriſti quòd gerit ille vicem:

Papa cruci affigi deberet, Chriſtus vt olim,
Vt gereret Chriſti ſic crucis effigiem.
Hæc podolatreiam contra argumenta profanam,
Propono è priſcis eruta codicibus.
Si Chriſti deitas eadem haud cum Patre fuiſſet,
Naturæ æternæ principioq́ carens:
Tempore ſi quouis facta eſſet voce paterna,
Arius vt demens mente furente docet:
Corpore non illum venerari, aut voce liceret,
Nam factura haud eſt vlla colenda Dei.
Non natura eadem Deus & Crux, ac ſimulachrum;
Non ergo debent crux, & imago coli.
Eſſet more hominum Chriſtus ſi Patris imago,
Non naturâ idem cum deitate Patris,
Chriſticolæ haud illi deberent vota, preceſq́,
Patrum vt priſcorum diua corona docet:
At Chriſtus iunctis verus Deus, ac homo verus,
Naturis, debet relligione coli.
Non Deus effigies Chriſti, non eſt homo verus,
Cultu ergo non eſt illa colenda Dei.
Quamque coli in labaro ſecum fecit Iulianus,
Defuncti hæc hominis vilis imago fuit.
Quòd caulæ Chriſti princeps, ſummuſq́ Sacerdos,
Papa ait, hæc pedibus baſia danda ſuis:
Rex at Melchiſedec fuerat ſummuſq́ ſacerdos,
Fouit Abram menſis, & benedixit ei,
Contentus decimis Abram quas obtulit illi,
Non petiit pedibus baſia vana dari.
Ordinis eius erat Chriſtus, ſummuſq́ Sacerdos,
Quatenus eſt natus ſemine Dauidico.
Diſcipuli haud pedibus fixerunt baſia Chriſti,

Athanaſ. tō. 1. edit. græc. pag 156. & ſequēt. diſput. 2. contra Arianos docet: Filium Dei non eſſe imaginem Patris, vt hominis imago picta, quæ nō adoranda: ſed Patrem eſſe genitorem ſuæ imaginis, illamq́ eſſe ex ſubſtantia Patris; quod de imagine crucis ſcandalio Papæ affixa, dici nequit; eius ergo adoratio eſt idololatria. Vide locum integrū infra in teſtimonijs quintæ Theſeos.

Natu-

Naturas iunctas excoluere simul:
Amplexæ Christi Mariæ vestigia binæ,
Corpus adorarunt cum deitate sua.
Quamuis vna pedes vnxit, lachrymisq́ rigauit,
Crinibus extergens basia mille dedit;
Haud venerari hominem licuit, nisi cum deitate
Iuncta, vt sunt animis corpora nostra suis.
Si seiunctum esset (docuit quod Samosatenus)
Corpus, par nobis à deitate sua;
Hunc nec adorabo, credam nusquam nec in illum,
Augustinus ait, vota nec vlla darem.
Papa, & sandalium, crux Christi, fixa & imago,
Latreia Reges quæ simul ore colunt,
Aluo in virginea deitati haud iuncta fuere:
Ergo idololatres qui colit ista cluit.
Discipulis benedixit verba nouissima dicens
Christus, nulla iubens basia ferre pedi:
Regibus at renuit benedicere Papa superbus,
Eius qui pedibus basia danda negant:
Ergo nequit Christi vice dici Papa sacerdos,
Cui dici haud similis cum ratione potest.
Ordinis haud etiam sunt Papæ Melchisedeci,
Qui benedixit Abram, basia nulla petens.
Vrim cum Thummim sueuit gestare sacerdos
Leuites, præsens in quibus ipse Deus.
Namque his inspectis summus responsa sacerdos
Reddebat, proprio quæ Deus ore dabat:
Vna sonat lumen, perfectio at altera vox est,
Quæ Christum signant cum deitate sua;
Hæc appensa suo gestabat pectore mystes,
Christi hic Pontificis viua figura fuit.

At Reges Iudææ haud curuo corpore terræ,
Pontificis ſuerant baſia ferre pedi.
Arone & Chriſto maiorem ſumit honorem
Papa ſibi, Chriſti non gerit ergo vicem.
Excelſi pedibus Iouæ fuit arca ſcabellum,
Oſcula verùm illi nulla dedere Patres;
Hanc quamuis diæ præſentia Maieſtatis
Irradians, texit lumen & igne micans;
Hac Deus eſt ſolitus quamuis oracla profari,
Electo & populo iuſſa verenda dare.
Pronus adorabat fulgentia numima Iouæ
Iſrael, haud arcæ fulua metalla Dei.
Nulla pedis Papæ ſigno eſt præſentia talis,
Nec fatur Chriſtus per ſimulachra pedis.
Vrim Paparum nec Thummim à pectore pendet,
Illum haud alloquitur voce tonante Deus;
Ergo haud Pontificum pedibus ſunt oſcula danda,
Aurea nec Papæ ſigna colenda pedum.
Vtque Satan Chriſto promiſit ditia regna,
Ante pedes illum ſi venerando cadat;
Imperij non dat ſic regi Papa coronam,
Ni pedibus ſupplex oſcula dira ferat.
Cardinei petaſi nulli concedit honorem,
Eius ni figat baſia vana pedi:
Ipſi & cardinei Papas venerando creare
Eius conſuerunt oſcula dando pedi:
Nec cuiuis hominum dirus benedicit alaſtor,
Qui negat idolo baſia danda pedis.
Filius ipſe Dei, qui nobis pòſt caro factus,
Debet homo atque Deus relligione coli;
Sed qua parte Deus, non eſt homo qua venerandus:

Gloria,

Gloria nam cultus debita ſola Deo.
Sic Patres priſci docuerunt Antiocheni,
Vt Samoſateni dogmata falſa probent.
Ille hominem nudum credebat mente colendum,
Sanctæ exors Chriſti qui Deitatis erat.
Eſt paſſus Chriſtus non qua Deus, aſt homo nobis
Vt ſimilis, mortis tormina ſæua tulit:
Chriſti crux & imago, non referunt Deitatem,
Corporis at clauis membra refixa cruci.
Eſt Anthropolatreia cruci affixi venerari
Effigiem votis, hoc vetus error erat.
Ergo magis multo Papas homines venerari,
Corpore proſtrato, noxius error erit.
* *Se iactant Papæ, naturæ excedere leges,*
Semideoſq; viros, ſemiuiroſq; deos:
Aſt homines illos, & mortis lege peremptos,
Paparum toties mors repetita docet.
Coram illis ergo qui ſternunt corpora terræ,
Cum pedibuſq; crucem relligione colunt;
Iura Creatori diuinâ debita lege,
Illa creaturis, dant ſine lege Dei.
Olim ἀνθρωπολατρὴς fuerat Neſtorius amens;
Namque hominem coluit cum Deitate ſua:
Aſt Anthropolatras, idololatras docet eſſe
Turba Epheſi quondam conſociata Patrum.
Papa facit technis miſeros reges podolatras;
Eius quòd credant ſcrinia ferre Deum:
Neſtorij crimen quamuis blaſphemia magna,
Exitiumq; animis excidiumq; fuit;
Papæ illud ſuperant tamen exitioſa venena,
Et podolatriæ dira ſuperſtitio.

Vide ſupra locũ Symboli t.

*In proœmio Clementinarum, gloſſ. in verba hæc, Sanè fœlicis recordationis Clemens Papa 5. Papa, id eſt, admirabilis,& dicitur à Papæ, quod eſt interiectio admirantis: vt verè admirabilis,quia vices Dei in terris gerit. Inde dixit ille Angelicus in patria noua,Papa ſtupor mũdi,&c,& circa finẽ,Nec deus es,nec homo, quaſi neuter, & inter vtrũq;

Ille

Ille hominem coluit: ſed vera cum deitate,
Credebatq́, hominem pectore ferre Deum.
Papæ ſed picta aut ficta ſe cum deitate,
Vt numen faciunt per ſimulachra coli:
Ergo ſuperſtitio Paparum, Neſtoriana
Deterior, magis & pernicioſa lues.

Teſtimonia Theſeos.

Innocentius 3. Papa qui vixit an. Dom. 1215. quamuis diuiſionem adorationis admiſit, nunquam tamen eo inſaniæ prorupit, vt imaginem crucis eadem cum Chriſto veneratione colendam profiteretur; nam ſermo. 1. in ſolen. dedicat. Eccleſię de adoratione, ait, Sacramentorum, dicit Eccleſia, crucem tuam adoramus Domine. Vnde alibi legitur: Chriſtiani ſacras imagines piè venerantur, & adorant: verius tamen adoramus Deum coram imagine, quam imaginem coram Deo. Vnde præceptum eſt, coram altari hoc adorabitis, non ait altare, ſed coram altari, &c. Ex quibus Innocentij 3. verbis clarum eſt; illum condemnare adorationem imaginum, quamuis vſum illarum retineat, vt coram illis Deus adoretur. At ſcholaſtici qui ætati Innoc. proximi erant, in horrendam idololatriã crucis irruerunt.

Thomas enim Aquinas ſummæ part. 3. quæſt. 25. de adoratione imaginis Chriſti, in concluſione inquit: eadem Reuerentia exhibetur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus ipſe adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt quod eius imago ſit adoratione latriæ adoranda. Articulo vero 4. de cruce & eius imagine, poſt obiectiones, ait: Sed contra eſt, quod illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus ſpem ſalutis: cantat enim Eccleſia; O crux aue, ſpes vnica, hoc paſſionis tempore, auge pijs iuſtitiam, reiſq́ue dona veniam. Ergo crux Chriſti eſt adoranda adoratione latriæ. Et in concluſione: Crux, inquit, Chriſti, in qua Chriſtus crucifixus eſt, tum propter repre-

repręsentationem, tum propter membrorum Christi contactum, latriâ adoranda est: Crucis verò effigies in alia quauis materia, priori tantum ratione (id est, ratione repręsentationis) latriâ adoranda est.

Obiectio ipsius Thomæ contra adorationem imaginis Christi, tantæ efficaciæ est, vt eius conclusionem blasphemam esse euincat; nam in secunda obiectione ait: Christo debetur adoratio latriæ, ratione diuinitatis non humanitatis; vnde infert, imaginem non adorandam quæ humanitatem, non deitatem repręsentat. Et hęc est doctrina Symbolorum antiquorum, & Patrum Ecclesiæ Catholicæ, contra Paulum Samosatenum, & Arium, qui adorabant Christum, cuius diuinitatem creatam affirmabant. Symbolum Antiochenum editum contra Paulum Samosatenum docet, Christum ὅλον προσκυνητὸν καὶ μετὰ τῆς σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα προσκυνητόν, id est, Christum totum adorabilem, etiam cum corpore, sed non esse adorabilem secundum corpus.

Augustin. tom. 10. de verbis Domini sermone 58. Huc facit quod Augustinus de Arianis scribit. Dicunt, non natura esse Dei Filium, sed creatum; aduersus huiusmodi quæstiones solitò respondendum est. Quia si natura Deus non est filius, sed creatura, nec colendus est omnino, nec vt Deus adorandus, dicente Apostolo: Et coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula, &c. Sed illi ad hæc replicabunt, & dicent: Quid? quod carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus quam diuinitati deseruis: ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à diuinitate susceptа, atque deitati vnita est, vt non alium atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem Dei Filium confitear; denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, nec seruio.

Hæc doctrina Catholicæ Ecclesiæ probat, Thomam

Aquinatem veritatem illi cognitam maligne & fraudulenter cauillis illudere & impugnare. Nam in concluſione ait, quod imagini Chriſti, in quantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum vel pictum) nulla reuerentia exhibetur, quia reuerentia non niſi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reuerentia ſolum, in quantum eſt imago: & ſic ſequitur quod eadem reuerentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto.

Chriſtiani φιλαληθεῖς æqua trutina perpendite, quam horrenda ſit hæc ſophiſtica illuſio Thomæ, quem Angelicum Doctorem vocat deceptatrix, vere deceptrix ſchola; ſi enim hæc ſtropha pro doctrina Chriſtiana reciperetur, proculdubio omnia Patrum argumenta contra Samoſatenum, Photinum & Arium, eadem techna facile illudi poſſent.

Art. 4. eiuſdem quæſtionis, idem Thomas proponit quæſtionem, vtrùm crux Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ, & concludit, vt diximus, crucem adorandam latria, euertitque fundamenta Symbolorum fidei Catholicæ, docens Eccleſiam ſpem ponere in ligno crucis, vnde eius adorationem legitimam eſſe, veteratorie concludit: Omnes enim Chriſtiani ſpem ponunt in Chriſto crucifixo, & non in ligno, cui affixus fuit Rex gloriæ. Ambroſius enim oratione de obitu Theodoſij Imperatoris, de ligno crucis ab Helena matre Conſtantini Magni, inuento, iuxta ſepulchrum Chriſti ſcribit: Inuenit Helena Titulum (quod apoſuit Pilatus cruci Chriſti) Regem adorauit non lignum, vtique quia hic Gentilis error eſt, & vanitas impiorũ. &c.

Obiectio ſecunda Thomæ contra adorationem ligni crucis, eiuſque imaginis, illum arguit blaſphemiæ, contra doctrinam fidei Catholicæ; eius verba ſunt: Humanitas Chriſti adoratione latriæ adoratur, in quantum eſt vnita Filio Dei in perſona; quod de cruce dici non poteſt. Ergo crux Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ.

Hæc obiectio conuenit cum doctrina Catholicæ Eccleſiæ, vt ex ſupra citato Auguſtini loco manifeſtum eſt, &

& infra aliorum Patrum teſtimonijs probatur. Thomas in concluſione, hanc Catholicam doctrinam ſophiſticè illudit hiſce verbis: Crux Chriſti licet non fuerit vnita verbo Dei in perſona; fuit tamen ei vnita aliquo alio modo, ſcilicet, per repreſentationem & contactum; & hac ſola ratione exhibetur ei reuerentia.

Si hæc veteratoria Thomæ ſtropha locum haberet, friuola eſſet doctrina Concilij Epheſini, Cyrilli Alexandrini, aliorumque Patrum qui contra Neſtorium ſcripſerunt; qui omnes vno ore docent, humanam naturam Chriſti non eſſe adorabilem, ſi in vtero Virginis vnita non fuiſſet deitati, ſed poſtea infuſa & coniuncta per contactum.

Concilium enim Epheſinum, pag 125. editionis græcæ, & pag. 368. verſionis Peltani pſeudoieſuitæ, condemnat Neſtorium, qui dicebat, ſe adorare humanam naturam Chriſti vt deitati per contactum adiunctam, illumque vt ἀνθρωπολάτρην, id eſt, hominicolam condemnarunt, pag. 25. editionis græcæ, & pag. 54. editionis latinæ: locus integer habetur Theſi tertia infra.

Vt Deus eſt colitur. Vide Concil. Epheſ. pag. 138. edit. græc. & pag. 865. edit. lat. Pelt. Ieſuitæ.

Hunc Dioclesianus primus, &c. Oſculationem pedum Dioclesianus, in communem vſum Romanorum induxit. De quo Eutropius lib. 9. inquit: Diligentiſſimus & ſolertiſſimus Princeps, & qui Imperio Romano primus regiæ conſuetudinis formam, magis quam Romanæ libertatis inuexit, adorari ſe iuſſit: cum ante eum cuncti ſalutarentur, ornamenta etiam gemmarum veſtibus & calceamentis addidit. Nam prius Imperij inſigne, in chlamyde purpurea tantum erat, reliquaque cõmunia. Pomponius factum hoc apertius expreſſit: Dioclesianus, inquit, poſt triumphum de Perſis actum, adorari voluit, pedeſque ſibi oſculari, auro & gemmis calceamenta ornans.

Ethnicus eſt error, docet vt dio ore Cyrillus.

Cyril. Alexand. aduerſus Neſtor. lib. 2. pag. 43. Roman. edit. Εἰ δὲ ἥκιστα μὲν κατὰ φύσιν, δοῦλον δὲ ἡ θνητὸν εἶναι

τὸ ἀξίωμα, καὶ ὡς ἐν μόνῃ φωνῇ, πῶς οὐκ ἐκεῖνο φησὶν ἐναργῶς, ὅτι λελατρεύκαμεν τῷ μὴ φύσει θεῷ; καὶ οὐν ἡμῖν ὡς ἔοικε καὶ ἡ τῶν ἄνω πνευμάτων πεπλάνηται νῆψις, καὶ τούτων ἡμῖν αὐτὸς ὁ πατὴρ καὶ ἀρχὴ καὶ πρόφασις. ἵς πῶς οὖν ἐπὰν ἔτι διαμωμήσαι τὸ τοὺς παρ' αὐτὸν τῇ κτίσει προσκυνεῖν ἡρημένους· γράφεται δὲ ἀνθ' ὅτου κολάζει τοὺς πεπλανημένους, εἰ τοῖς αὐτοῦ νεύμασι πεπλάνηται προσκυνητὸν ἡμῖν ἀποφήναντος τὸν οὐκ ὄντα φύσει θεόν. Id est: Sin minime secundum naturam, sed eam dignitatem datam & extrinsecus acceptam, & velut in sola voce positam habuisse; quomodo non illud euidenter asserit, nos seruire & cultum deferre ei qui natura Deus non sit, & nobiscum, vt consequens est, illam quoque supernorum spirituum peruigilem prudentiam errore seductam, & horum scelerum nobis ipsum Patrem initium & causam esse? Quomodo igitur adhuc culpat eos qui illo abiecto creaturam adorare maluerunt? Cur vero accusat & punit seductos errore homines, si eius nutu ac voluntate seducti sunt, cum eum qui non esset ex natura Deus, adorabilem nobis effecerit?

Sic Necrolatreiam damnat, traditq́; creator.

Cyrillus Alexand. lib. 3. in Hesaiam, pag. 277. edit. recentis Parisiensis. Omnia (inquit) humana, parua sunt, & facile proijci, ac omnino euerti queunt, atque herbarum in morem emarcescunt. Adorandus est igitur Deus solus, Deus, inquam, natura, & verè: nec vlla sit eorum ratio, quos fabrorum scientia inuenit, neque etiam hominum, qui à quibusdam deorum nomine insigniuntur. Est enim hæc Necrolatria, ac mortuorum cultus, & præterea nihil.

Ast hominis cultus sub nomine relligionis,
Tertullianus ait, &c.

Consuetudo adorantium idola erat, illa exosculari, vt refert Minutius Fœlix, dialogo inter Octauium Christianum, & Cæcilium Ethnicum: Itaque (inquit) cum diluculo ad mare inambulando littori pergeremus, vt & aura aspirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate

tate molli vestigio cedens arena subsideret, Cæcilius simulachro Serapidis denotato (vt vulgus superstitiosus solet) manum ori admouens, osculum labijs pressit. Sic Papæ imitantes priscos & Gentiles idololatras, se adorari faciunt per pedum osculationem; adorationem verò hominis, esse idololatriam, docet Tertullian. libro de Idololatria, cap. 15. Recogitemus omnem (ait) idololatriam, in homines esse culturam, cum ipsos deos nationum homines retrò fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest superioris, an huius sæculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas quæ opponuntur, sed propter officia ista damnata est: quæ ad dæmones pertinent.

Ex his locis Tertulliani & Cyrilli huiusmodi elicimus enthymemata. Idololatria erat adorare imagines deorum Gentilium, quia homines erant dij nationum. Adorare ergo Papam, qui homo est, per osculationem pedum, est idololatria & Anthropolatreia.

Imago Christi crucifixi, non est imago Deitatis, quę non passa est, sed humanæ naturæ separatim à Deitate consideratæ. Ergo adorare imaginem Christi quatenus homo, est hominis adoratio, & Gentilica idololatria, & Anthropolatreia Nestoriana. Idem docent passim Cyrillus, & Concilium Ephesinum contra Nestorij Anthopolatriam, illamque damnant vt idololatriam, vt supra probamus, & infra alijs testimonijs σὺν Θεῷ demonstrabimus.

Si Christi deitas eadem haud cum Patre fuisset, &c.

Athanasius epistola ad Adelphium contra Arianos, tom. 1. pag. 333. in fine. Καὶ γινωσκέτωσαν ὅτι τὸν κύριον ἐν σαρκὶ προσκυνοῦντες, οὐ κτίσμα προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τὸν κτίσιν ἐνδυσάμενον τὸ κτιστὸν σῶμα, καθὰ προεῖπομεν. Id est: Ac tandem cognoscant nos, qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed Creatorem corpore creato indutum, quemadmodum prædiximus.

Idem pag. 335. ὅτι ἡ πίστις τῆς καθόλου ἐκκλησίας, κτίσιν οὐδὲ τὸν τοῦ θεοῦ λόγον καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων. καὶ οἴδαμεν ὅτι ἐν

ἀρχῇ μὲν ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν. γενόμενον δὲ αὐτὸν καὶ ἄνθρωπον διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν προσκυνοῦμεν. οὐκ ὡς ἴσον ἐν ἴσῳ γενόμενον τῷ σώματι ἀλλ' ὡς δεσπότην προσλαβόντα τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, καὶ δημιουργὸν καὶ κτίστην ἐν κτίσματι γινόμενον, ἵν' ἐν αὐτῷ τὰ πάντα ἐλευθερώσας, τὸν κόσμον προσαγάγῃ τῷ πατρὶ, καὶ εἰρηνοποιήσῃ τὰ πάντα τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. οὕτω γὰρ καὶ τὴν πατρικὴν αὐτοῦ θεότητα ἐπιγινώσκομεν, καὶ τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν προσκυνοῦμεν. κἂν Ἀρειομανῖται διαῤῥηγνύωσιν ἑαυτοὺς. Id est: Quoniam fides Catholicæ Ecclesiæ, verbum Dei conditorem & opificem rerum omnium agnoscit: & pro certo & indubitato ponitur, In principio verbum fuisse apud Deum, illudque ipsum verbum, hominem factum nostræ salutis gratia, adoramus: Non, vt parem in pari corpore, sed vt Dominum, in seruili schemate: & opificem conditoremque in re condita constitutum, vt in eo omnia in libertatem vindicans, mundum Patri reconciliaret, omniaque pacificaret, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ita enim & Deitatem eius ex Patre oriundam cognoscimus, & aduentum & præsentiam eius in carne adoramus. Rumpantur igitur & pereant stultissimi. Salutate omnes qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum.

Concilium Ephesinum pag. 31. editionis Græcæ. Οἱ δὲ λέγοντες ἀσυνέτως, θεοτόκον οὐκ ἔτι τὴν ἁγίαν παρθένον, ἐκπίπτουσιν ἀναγκαίως εἰς τὸ δύο λέγειν υἱοὺς τοῦ θεοῦ. εἰ γὰρ μὴ τέτοκε σαρκικῶς σαρκωθέντα θεὸν ἡ ἁγία παρθένος, πᾶσα πως ἀνάγκη, καὶ οὐχ ἑκόντας αὐτὴν ὁμολογεῖν, ὅτι κοινὸν γεγέννηκεν ἄνθρωπον, οὐδὲν ἔχοντα παρ' ἡμῶν τὸ πλεῖον. εἶτα πῶς αὐτῷ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται, ὅτι κύριος ἰησοῦς χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός; πῶς αὐτῷ προσκυνήσουσιν ἄγγελοι, καὶ τῶν ἀνωτάτω δυνάμεων ἡ ἁγία πληθύς; ἆρ' οὖν ἀνθρώπῳ κοινῷ λελάτρευκε μεθ' ἡμῶν καὶ σύμπας οὐρανός; μὴ γένοιτο. προσκυνοῦμεν γὰρ, ὡς θεὸν ἀληθινὸν, τὸν ἐμμανουήλ. ἔσται δὲ οὐχ ἑτέρως προσκυνητὸς ἐὰν μὴ πιστεύσωμεν ὅτι αὐτὸς ὁ ἐκ θεοῦ λόγος, ὁ παρὰ πάσης κτίσεως προσκυνούμενος, σάρξ εγένετο κατὰ τὰς γραφάς.

Et Latinæ editionis Peltani, pag. 73. Illi autem, qui sacram

cram virginem Deiparam esse imperitè negant, huc necessariò adiguntur, vt duos Dei filios constituant. Nam si sacra virgo Deum incarnatum secundùm carnem non peperit, vel inuiti concedant oportet, hominem tantùm vulgarem, nobisque nihilo excellentiorem in lucem edidisse. Quòd si res ita habet, qua, obsecro, ratione, *omne genu illi incuruatur, omnisq; lingua confitetur, quòd Dominus noster Iesus Christus est in gloria Dei Patris?* Quomodo Angeli & sacer ille cœlestium virtutum cœtus illum adoret? Nunquid hominem communem, & nos & vniuersum cœlum hactenus percolimus? absit: adoramus enim Emmanuelem, tanquam verum & naturalem Deum. Atqui nulla ratione adorari potest, nisi credamus ipsum Dei Patris verbum, quod ab vniuersa creatura adoratur, secundùm Scripturas carnem factum esse.

Ex his testimonijs perspicuum est, Christum adorandum quatenus Deus, & non quatenus homo separatus à Deitate: vnde sequitur nihil extra vnitatem duarum naturarum, aut quod habet relationem ad solam humanam naturam adorandam.

Esset more hominum Christus si Patris imago. &c.

Athanasius disputatione 2. conra Arianos. tom. 1. p. 151. Φέρε τοίνυν ἰδωμεν τὰ τῦ πατρὸς, ἵνα κ̓ τὼ εἰκόνα ἐπιγινώσκωμεν εἰ' ἀυτὴ ἔστιν. ἀΐδιος ἐστὶν ὁ πατὴρ, ἀθάνατος, ὤν ἀεὶ, φῶς, βασιλεὺς, παντοκράτωρ, θεὸς, κύριος, κ̓ ποιητὴς. τοιῦτα δεῖ ἐν τῇ εἰκόνι, ἵνα ἀληθῶς ὁ ὑὸς ἰσοχαρὴς ἦ τῷ πατρί. εἰ δὲ μὴ ἔστιν ἐστὶν, ἀλλ' ὡς τὰ λοιπὰ φθητὸς, γενητὸς ἔστ κ̓ ὡκ ἀΐδιος ὁ ὑὸς, ὐκ ἔστιν ἀυτὸ ἀληθὲς εἰκὼν τῦ πατρὸς.

Age igitur, videamus ea quæ sunt Patris, vt imaginem dijudicemus, an verè sit Patris; æternus est Pater, immortalis, potens, lux, rex, imperator, Deus, Dominus, conditor, & factor: ea omnia inesse oportet in ipsius imagine, vt re vera qui Filium vidit, Patrem videat. Quòd si non ita est, sed, vt Ariani sentiunt, factitius est, & non æternus Filius, fieri non potest, vt sit vera imago Patris.

Ex hoc testimonio argumentum elicimus huiusmodi: Si Christus imago esset Patris alienæ substantiæ & naturæ

à

à Patris ſubſtantia & natura, non eſſet adorandus: Ergo imago Chriſti, quæ eſt alienæ ſubſtantiæ & naturæ à Chriſto, non eſt adoranda; eademque ratione crucis imago aſſuta ſandalio pedum Papæ non eſt adoranda.

Sed cognoſcentes Deitatem in corpore Chriſti, &c.

Idem tom. 1. epiſt. ad Adelpium, pag. 331.

Ἀλλ' οὐ τοιοῦτος ὁ λεπρός. προσκύνει γὰρ θεὸν ἐν σώματι ὄντα, καὶ ἐγίνωσκεν ὅτι θεὸς ἦν, λέγων, κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι. καὶ οὔτε διὰ τὴν σάρκα ἐνόμισε κτίσμα τὴν τοῦ θεοῦ λόγον, οὔτε διὰ τὸ εἶναι τὸν λόγον δημιουργὸν πάσης κτίσεως, ἐξουθένει τὴν σάρκα ἣν ἐνδεδυμένος ἦν: ἀλλ' ὡς ἐν κτίσῳ ναῷ τὴν κτίστην τοῦ παντὸς προσκύνει, καὶ ἐκαθαρίζετο.

Atqui non iſtiuſmodi moribus leproſus erat: adorabat enim Dominum in corpore; eumque Deum eſſe perſentiebat, his verbis vtens: *Domine ſi vis, potes me mundare.* Neque ob carnem arbitratus eſt eſſe creaturam verbum Dei, neque quia verbum erat opifex rerum, carnem pro nihilo habuit, quam indutus erat: ſed vt in re creata, creatorem ſubſiſtentem adorabat, ideoque mundatus eſt.

Fides ergo Catholica eſt adorare Chriſtum quatenus Deus, & non quatenus homo ſeparatus à Deo: vnde ſequitur imaginem crucis & Chriſti, quæ refert lineamenta corporis, & adunata non eſt deitati, non adorandam: & adorationem Papæ, per oſculationem imaginis crucis ſandalio aſſutæ eſſe idololatriam, Papamque conuertiſſe crucem in idolum, ſeque cum ſuo idolo adorari facere, Iulianique eſſe imitatorem.

Amplexæ Chriſti Mariæ veſtigia binæ.

Athanaſ. de incarnatione Verbi, tom. 1. pag. 482. & 483.

Ἀλλὰ πάλιν λέγετε ὅτι ἡμεῖς κτίσματα οὐ προσκυνοῦμεν. ὦ ἀνόητοι, διατί οὐ λογίζεσθε, ὅτι καὶ ποιηθὲν τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, οὐ κτίστην ἀποφέρεται τὴν προσκύνησιν: τοῦ γὰρ ἀκτίστου λόγου γέγονε σῶμα. οὗ γὰρ σῶμα γέγονε, τούτῳ προσάγεται ἡ προσκύνησις. ἄρ' οὖν καὶ προσκυνεῖται ὀφειλομένως, καὶ θεϊκῶς προσκυνεῖται, θεὸς γὰρ ἐστιν ὁ λόγος, οὗ τὸ σῶμα ἴδιον τυγχάνει. ἐπεὶ καὶ ὅτε προσήεσαν αἱ γυναῖκες τῷ κυρίῳ, διαλύων ἔλεγε, μὴ μοῦ ἅπτου. οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα: σημαίνων, ὅτι χρεία ἀναβάσεως, καὶ ὅτι μία ἔσται ἡ ἀνάβασις. ὅμως προσελθοῦσαι, ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προσεκύνησαν. πόδας ἐκράτησαν, θεὸν προσεκύνησαν. πόδας, ὀστέων, καὶ σαρκὸς ἔχοντας ψηλάφησιν. ἀλλὰ θεοῦ ὄντας προσεκύνησαν θεόν.

Sed

Sed reſpondetis, nos rem creatitiam non adoramus. O ſtulti, cur non cogitatis, *creatum Domini corpus non offerre debere adorationem eius, qui increatus eſt? Et quia increati corpus factum eſt, ideo eius corpus dicitur, cuius factum eſt: ac proinde illi ſacra offertis, adhibetiſque veſtram adorationem, eaque de cauſa rite legitimaque ratione adoratur, & diuina adoratione colitur. Deus enim verbum eſt, cuius proprium eſt corpus, ideoque cùm acceſſerant mulieres ad Dominum, prohibitis ijs, dixit, *Nolite me tangere, non enim aſcendi ad Patrem meum*, indicans opus eſſe aſcenſione. Attamen accedentes tenuerunt pedes eius, atque adorauerunt. Pedes tenuerunt, Deum adorauerunt. Pedes oſſium & carnis habentes contactum, ſed Dei exiſtentes, Deum adorauerunt.

*Græc. vertẽd. in hũc modũ, Creatitiã adorationem non reportare, increati enim ſermonis corpus factũ eſt: illi enim cuius corpus eſt offertur adoratio, igitur vt debetur adoratur, & Dei more adoratur, Deus enim eſt ſermo, cuius proprium corpus exiſtit.

Ex hoc loco perſpicuum eſt, corpus adorari vt proprium deitatis, & illi adunatum corpus, aliàs non eſſet adorandum latreia; vnde ſequitur, imagines crucis & Chriſti, quæ non ſunt adunatæ deitati Chriſti, ſed relationem habent ad humanitatem, & non ad deitatem, non eſſe latreia adorandas, vt Thomas docet; adeo vt adoratio imaginis crucis ſandalio affixæ ſit Ariana, & ethnica creaturæ idololatreia.

Fœminæ apprehenderunt Chriſti pedes, ſed Deum adorarunt ſine pedum oſculatione, quamuis pedes adunati erant Deitati; Papæ verò oſculationem pedum ſibi exhibendam vt vicarijs Chriſti contendunt, quamuis non ſint vniti naturæ deitatis: adeo vt Papæ maiorem honorem quàm Chriſtus ſibi attribuant. Eorum podolatria repugnat teſtimonio Athanaſij ſuprà citato; & conſequenter Papæ non ſunt Vicarij ſed aduerſarij Chriſti, Apoſtatæ, & Antichriſti, qui ſe vt Deum adorari faciunt, & imitatione Iuliani ſe cum idolo ſanctalij adorari faciunt.

Iuncta vt ſunt animis corpora noſtra ſuis, &c.

Auguſt. tom. 10. de verbis Dom. in Euang. ſecundùm Ioan. ſerm. 58. Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, diuinam ſcilicet, qua æqualis eſt Patri: humanam, qua

maior eſt Pater. Vtrunque autem ſimul, non duo, ſed vnus Chriſtus, ne ſit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim vnus eſt homo anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo.

Idem Auguſtinus eodem ſermone: Creatum (inquiunt) eſſe Filium à Patre, non genitum. Ad quod breuiter reſpondendum eſt: Si creatus eſt, vtique & ſeruus, quia omne quod creatum eſt, neceſſe eſt vt creatori deſeruiat. Et ſi ſeruus eſt filius, quomodo in forma Dei conſtitutus formam ſerui accepit? Seruus enim ſerui formam accipere non poteſt. Ijdem dicunt, non natura eſſe Dei filium, ſed creatum. Aduerſus huiuſmodi quæſtiones ſolitò reſpondendum eſt. Quia ſi natura Deus non eſt filius ſed creatura, nec colendus eſt omnino, nec vt Deus adorandus, dicente Apoſtolo, Et coluerunt & ſeruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Et ad Galatas, Sed tunc ignorantes Deum, his qui natura non ſunt dij ſeruiebatis. Sed illi ad hæc replicabunt & dicent: Quid quod carnem eius, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum diuinitate adoras, atque ei non minus quàm diuinitati deſeruis? Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem, propterea adoro, quod à diuinitate ſuſcepta, atque deitati vnita eſt, vt non alium atque alium, ſed vnum eundemque Deum & hominem Dei Filium confitear. Denique, ſi hominem ſeparaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samoſatenus, illi ego nunquam credo nec ſeruio. Velut ſi quis noſtrûm aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea ſimul cum rege quis adorare contempſerit: ita etiam in Chriſto Domino humanitatem non ſolam aut nudam, ſed diuinitati ſuæ vnitam, vnum Dei Filium, Deum verum & hominem verum qui adorare contempſerit, æternæ mortis pœnam patietur.

Vrim cum Thummim ſueuit, &c.

Si vllus hominum mortalium adorandus fuiſſet, certe Aaron

Aaron infulis ſacerdotalibus amictus adorandus erat, ob Pectorale iudicij quod ante pectus alligatum geſtabat; nam in illo erant Vrim & Thummim, in quibus deitas Chriſti ſe præſentem exhibebat. Quia vero quid fuerint Vrim & Thummim Rabbini Hebræi fatentur ſe ignorare, & variæ ſunt de illis interpretum ſententiæ, hic locus mihi oportunus viſus eſt, vt in rudiorum gratiam opiniones doctorum, in medium proponerem. A Pectorali igitur incipiendum. Pectorale Hebraicè חשן *choſen*, à חשה *chaſcha*, quod eſt ſilere, tacere, nomen accepiſſe videtur, ſignificatque myſterium & arcanum; per illud enim præfigurabatur admirandum myſterium Filij Dei, qui in illo præſentiam ſuam exhibebat, vt diximus; Græcus verò interpres vertit λογεῖον, ἀπὸ τοῦ λόγου, quæ vox in Euangelio Iohannis rationem & ſermonem Dei, qui inde reſponſa reddebat, ſignificat: ſummi enim Sacerdotes amiciebant ſe EPHOD, ad quod appendebatur Pectorale ad ſciſcitandam voluntatem Dei de publica ſalute populi. Verbi gratia, Num. cap. 27. 20. Deus præcipit Moſi vt ordinet Ioſuam ducem populi, vbi ait, *Pones de gloria tua ſuper illum, & audiat illum vniuerſa congregatio filiorum Iſrael; qui poſtea coram Eleazar ſacerdote ſtabit, & interrogabit eum de iudicio Vrim coram Iehoua: ad verbum eius egredietur, & ad verbum ingredietur, ipſe & omnes filij Iſrael cum eo, & tota congregatio*. Hoc eſt, vt annotat doctiſſimus Vatablus, conſulet Pontificem de rebus agendis tanquã conſcium voluntatis Dei: De rebus (inquam) quas reuelabit ei Dominus agendas, propter præſentiam nominis ſui, quod ipſe ſacerdos geſtat in Pectorali.

Vrim Hebræis illuminationes, & Thummim perfectiones ſignificat. Græcus interpres τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, id eſt, declarationem & veritatem. Hieronymus & vetus interpres Latinus, doctrinam & veritatem vertunt.

Rab. Ionathan in paraphraſi Chaldaica ait, Sacerdotem per Vrim interpretari ſolitum תמיר *themiran*, id eſt, arcana ſeu myſteria domus Iſrael: & per Thummim inquirebant

doctrinam coram Domino, eò quòd ibi nomen Dei magni insculptum erat, nempe tetragrammaton יהוה *Iehouah*, quod in se mysterium Trinitatis & incarnationis Christi continet, vt infra docebimus.

R. Dauid Kimchi in libro radicum ait, Incognitum Iudęis quid hæ voces significant, & ex textu colligit illas voces esse aliud quid diuersum à lapidibus Pectoralis.

Rab. Schelomoh ait, Scripturam שם חמפורש *schem hammephoresch*, idem nominis expositi, nempe tetragrammati Iehoua, per *Vrim* & *Thummim* significari. Illud verò nomẽ Rabbi Hakadosch citante Petro Galatino Franciscano lib. 2. cap. 10. de arcanis Catholicæ veritatis, in libro qui *Gale Razeici*, id est, *Reuelator arcanorum*, inscribitur, exponit de sancta Trinitate; verba eius latinè adscribam, vt illa vertit Galatinus, lib. 2. pag. 82. vlt. edit. Propterea (inquit) nos volumus, generantem & generatum vnam esse substantiam. Idcirco necesse est, ex altero in alterum procedere amorem. Eapropter ex hoc *Sem hammephoras*, deriuatum est nomen duodecim literarum. Estque Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quæ in lingua nostra Hebraica duodecim literis scribuntur. Quoniam autem non inuenitur aliquid in Deo, quod non sit Deus, ex nomine duodecim literarum emanat nomen quadraginta duarum literarum, quod est Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate.

Hic annotat Galatinus significationes quatuor literarum יהוה *Iehouah*; quarum prima י *iod*, principium significat, eò quòd omnes literæ ex compositione literæ י *iod* constent, & originem habeat, י *iod* verò à nulla litera principium habeat; ideoque hanc literam Deum Patrem & primam personam Trinitatis ait denotare, quę principium sine principio est. Secundam literam ה *he*, quæ esse vel viuere significat, Filium repręsentare, qui rebus omnibus esse & vitam dedit. Tertiam verò literam ו *vau*, quæ est copula, vt ait Galat. Spiritum sanctum denotare, qui est amor & nexus Patris & Filij ab vtroque procedens. Literam

ram verò ה repeti quarto loco, quia significat secundam vitam, nempe illam quam humana natura à prima vita, nempe deitate accepit.

Cyrillus lib. 6. in Leuiticum, indumenta Pontificis longa oratione mysticè exponit. Nos pro tenuitate nostra existimamus Pontificem Iudæorum, eiusque infulas esse typos Christi & Christianę religionis, & duodecim lucidos lapillos Pectoralis significare lucem doctrinæ Euangelicæ, quam duodecim Apostolorum prædicatione Christus per totum orbem emisit: & sicut lapilli hominum opera ad nitorem expoliti erant, sic Christus rudes homines & literarum ignorantes expoliuit gratia Spiritus sancti, eorumque opera vsus est ad lucem Euangelicam passim disseminandam: Vrim verò & Thummim à nullo opifice facta, sed à Deo ipso Mosi tradita, & in medio duodecim lapidum collocata fuere, in quibus Christus secundùm deitatem præsentiam suam realem exhibebat, & sacerdoti reuelabat, quid agendum pro salute populi. Quòd verò Vrim & Thummim annexa erant Pectorali sacerdotis, qui Christi typus fuerat, significare videtur ἐνανθρώπησιν, inhumanationem Christi, factam opifice Spiritu sancto, & non hominis opera; & duas Christi naturas adunatas, in qua adunatione Vrim siue illuminatio significat Deitatem, quam ipse Christus in Ioan. Euang. lucem vocat, quia illuminat omnem hominem regeneratum. Et Thummim humanam naturam denotat, quia per illam Deitas adimpleuit omnia typica legis mysteria, & ad perfectionem perduxit prophetias & prædictiones de Messia.

Hic obiter obseruandum Pontificem gestasse in fronte Cidaris seu Tiaræ capitis laminam auream, cui inscribebatur קדש ליהוה *codesh laihouah*, id est, *Sanctitas ipsi Iehouæ*, quasi diceret, Sanctitas tribuenda Iehouæ, & non rebus externis & materialibus infulis, scilicet Pontificis: vt hinc admoneretur populus Israeliticus, adorationem & sanctitatem soli Deo exhibendam, & non sacerdoti aut Pectorali quod gestabat, quamuis illud locus præsentiæ Deitatis fuerat.

Hoc myſterium nobis maximè facit ad refutandam adorationem pedum Papæ,& imaginis Chriſti crucifixi aſſutæ ſandalio Papæ. Pontifex enim Iudæorum geſtabat Vrim & Thummim,in quibus deitas Chriſti realiter & localiter ſeſe præſentem exhibebat, adeò vt Pectorale iſtud fuerit imago diuinæ preſentiæ,& deitatis Chriſti,quæ humanitatem creauit, & ſibi aduniuit, ſecundum quam ſolam Chriſtus eſt adorabilis: ideoque Vrim & Thummim excellentiora erant quàm imago corporis Chriſti crucifixi & mortui,aſſuta ſandalio Papæ, quæ relatiua eſt ad corpus, ſecundùm quod Chriſtus non eſt adorabilis, vt diximus, vtque docet ſymbolum Antiochenum, ſupra citatum; attamen Iudæi non adorabant Pectorale, neque Pontificem qui illud gerebat coram corde, & pectore ob præſentiam deitatis in illo. Vnde neceſſario fatendum, multò minùs adorandam imaginem corporis Chriſti mortui & crucifixi,quæ realiter ſeparata eſt ab vtraque Chriſti natura,& repræſentat corpus ſecundùm quod Chriſtus non eſt adorabilis, vt diximus: & conſequenter Papa qui homo eſt, ſiue ob vnctionem & dignitatem Pontificatus, ſiue ob geſtationem Chriſti crucifixi cum ipſa imagine, non eſt adorandus oſculatione imaginis ſandalio affixæ; & huiuſmodi adoratio eſt Gentilica & Ariana χτισιολατρεία, id eſt, creaturæ adoratio, & Samoſatenica ac Neſtoriana ἀνθρωπολατρεία,id eſt,hominis adoratio,in Antiochena & Epheſina Synodis condemnata,vt vetus error Gentilicus, ſicut infra latius patebit authoritate vtriuſque ſynodi.

Excelſi pedibus Ionæ fuit arca ſcabellum, &c.

Rex Dauid in oratione ad Proceres & populum Iſraeliticum,1.Paral. cap.28.verſ.2. Ego (inquit) cum corde meo ſtatueram ędificare domum quietis Arcæ fœderis Iehouæ,& ſcabello pedum Dei noſtri. Sic vocat Arcam,eò quòd ſuper eam Deus ſe exhibebat præſentem. De tabernaculo verò in quo erat Arca,ait Scriptura,Exod.40.34. Operuit nubes tabernaculum Eccleſiæ, gloriaque Iehouę repleuit tabernaculum: neque poterat Moſes ingredi taber-

bernaculum Eccleſiæ, quia habitabat ſuper illud nubes, & gloria Iehouæ replebat tabernaculum. Et verſ. 38. Nubes erat ſuper tabernaculum interdiu, ignis verò erat noctu in ea. De ipſa verò Arca fœderis, Deus ad Moſen ait, Exod 25. ver. 22. Conueniam tecum illuc, & loquar tecum è Propitiatorio inter Cherubim, qui ſunt ſuper Arcam teſtimonij, quæcunque præcipiam tibi (dicenda) filijs Iſrael.

Cyrillus in cap. 4. Euangel. Ioan. lib. 2. cap. 93. pag. 460. edit. Pariſ. vlt. Age (inquit) rurſus de ſacris literis, vnde maximè iſta ſumenda ſunt, veritatem ſcrutemur. Lex igitur à ſingulis Iudæorum medietatem didrachmi, quaſi tributi loco, Deo offerri iubebat: non quoniam pecuniã Deo colligere vellet, ſed quod per figuras maiora doceret. Primum quia nemo ſui capitis dominus eſt: ſed vnum omnes habemus Dominum, quem tributi depoſitione profitemur: deinde in re corporali ſpirituale tributum deſcribebat. *Honora*, inquit, *Dominum ex tuis iuſtis laboribus, & primitias ei offeras à tuis fructibus iuſtitiæ*: quod iam Euangelica doctrina, cultu Legali ceſſante effectum eſt. Non enim corruptibili materia, & exteriore colendum eſſe Deum arbitramur, didrachmum attribuentes: ſed vt veri adoratores in ſpiritu & veritate adoramus. Hunc ſenſum in lege illa latuiſſe putandum eſt.

Si res vlla materialis & corruptibilis adoranda eſſe, certè materies Arcæ fœderis adorari debuerat, eò quòd deitas ipſa Chriſti præſens fuit ſupra tabernaculum teſtimonij in nube & igne, & inde reſponſa edebat inter Cherubim realiter præſens ſuprà Propitiatorium. Arcã tamen non adorauit Moſes, neque vt adoraretur præcepit; adeo vt fatendum neceſſario crucis imaginem, quæ nullam habet in ſe realem præſentiam deitatis Chriſti, ſed nudam relationem ad corpus Chriſti crucifixi, non eſſe adorandam: & conſequenter, Papa, ſi eſſet vir Spiritu ſancto plenus, non eſſet ideo adorandus, neque ob ſanctitatem (ſi vllam haberet) neque ob imagines crucis & Chriſti aſſutas ſandalio pedis.

Cyrilli

Cyrilli locus docet omnem adorationem per res materiales reijciendam, & adorationem in ſpiritu & veritate Deo exhibendam; vnde clarum eſt Deum non colendum per crucem materialem, aut eius imaginem.

Papæ per oſculationem pedum ſe adorari faciunt religionis prætextu, hanc verò adorationem eſſe anthropolatriam manifeſtum eſt. Nam Papa ſe eſſe hominem ſeparatum à deitate Chriſti negare nequit. Quòd verò adorare humanam naturam Chriſti (ſi ſolum coniuncta eſſet deitati, & non adunata) eſſet impia anthropolatria, probamus authoritate Concilij Epheſini his verbis, pag. 162. edit. Græcæ: Πότερον ψιλὸν ἄνθρωπον φασὶν αὐτὸν, ἤγουν καθάπερ εἰπεῖν τεθαρρήκασιν. ἔχει τὴν ἰσότητα τῆς ἀξίας καὶ τῆς αὐθεντίας, τῆς πρὸς γε φημὶ τὸν ἐκ θεοῦ λογὸν ὡσάντως συνημμένος; εἰ μὲν οὖν ἄνθρωπον εἶναι φασὶ καθ' ἡμᾶς ψιλὸν, ἀνθρωπολατρεῦσιν ὁμολογουμένως, προσκυνοῦντες αὐτῷ. γέγραπται γὰρ, ὅτι κύριον τὸν θεὸν σοῦ προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Id eſt, vt vertit Peltanus Ieſuita, pag. lat. 190. Vtrùm Emmanuelem purum tantùm hominem eſſe omnino ſentiant, qui ob id vnum parem cum Dei verbo dignitatem & authoritatem ſortitùs dicatur, quòd familiari quodam neceſſitudinis vinculo illi coniunctus ſit? Quòd ſi purum, nobiſque per omnia ſimilem hominem tantùm eſſe dixerint, profectò aperto ἀνθρωπολατρείας crimine tenebuntur, quicunque illum adorauerint: ſcriptum enim eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

Cyrillus libro contradictionum contra Neſtorium græcè & latinè Romæ impreſſo an. Dom. 1607. pag. 45. Neſtorij anthropolatreiam ſolidis argumentis impiam eſſe probat; nos verò eadem proponimus contra Anthropolatreiam & podolatriam Papalem. Verba Neſtorij hæc ſunt: Οὐ καθ' ἑαυτὸ θεὸς τὸ πλασθὲν ἐπὶ μέτρας. οὐ καθ' ἑαυτὸ θεὸς τὸ πλασθὲν ἐκ τοῦ πνεύματος. οὐ καθ' ἑαυτὸ θεὸς τὸ ταφὲν ἐπὶ μνήματος. οὕτω γὰρ ἂν ἦμεν ἀνθρωπολάτραι καὶ νεκρολάτραι σαφεῖς. ἀλλ' ἐπειδήπερ ἐν τῷ ληφθέντι θεὸς, ἐκ τοῦ λαβόντος ὁ ληφθεὶς, ὡς τῷ λαβόντι συναφθεὶς συγχρηματίζει θεὸς. Id eſt: Non eſt (ait Neſtorius)

Neſtorius) per ſe Deus quod eſt in vtero formatum; non eſt per ſe Deus quod eſt formatum à Spiritu: non eſt per ſe Deus quod ſepultum eſt in monumento; alioqui eſſemus hominicolæ,& * cadauericolæ prorſus. Sed quia eſt in aſſumpto Deus, ex aſſumente qui eſt aſſumptus, tanquam aſſumenti coniunctus, ſimul appellatur Deus.

* Græc. mortuorum adoratores.

Contradictio Cyrilli. Ιδὲ δὴ πάλιν ἡμῖν ὁ τὴν σωάφειαν ὀνομάζων πανταχῶ, καὶ τὰ τῆς ἀνθρωπολατρείας ἐγκλήματα δεδιὼς, ὅλω γεγονὼς ἀνθρωπολάτρης; καὶ τοῖς ἑαυτοῦ δυσβελίας ἐνίσχηται βρόχοις, καὶ καταφωρᾶ ϑ πεσὼν εἰς ἀδόκιμον νῦν. τὸ γὰρ σὺ τιχθὲν ἐκ μήτρας, ἐ καθ' ἑαυτὸ φυσει ϑεὸς. Id eſt: Ecce iam rurſum nobis qui coniunctionem (græcè contactum) vbique nominat,& hominis colendi crimen reformidat, hominicola eſſe conuincitur, ſuæque impiæ cogitationis laqueis implicatus tenetur,& in improbum ſenſum lapſus deprehenditur: nam id quod ex vtero eſt editum, inquit, non per ſe Deus eſt. Neſtorius docebat Mariam eſſe Chriſtotocon, & peperiſſe hominem ſine ſemine viri, ex conceptione Spiritus ſancti,& deitatem poſtea infuſam homini; ideoque hominem coadorandum cum Deo. Concilium Epheſinum hanc adorationem declarauit eſſe Anthropolatreiã, & gentilicum errorem; adeo vt imago crucis non ſit adoranda, quia non eſt vnita deitati in vtero, ſed ad ſolam humanitatem refertur, ſecundum quam ſolam Chriſtus paſſus eſt.

Theſis ſecunda.

QVando hoſtia eleuatur ſupra caput Papæ Miſſificantis, & quando equo albo ante Papam vehitur in ſolenni pompa, populus Papam,& hoſtiam ſimul adorat; adeo vt Papa, Iuliani more, ſimul cum

idolo ſuo adoratur; debuit ergo Bellarminus Papam Dominum & Deum Cardinalium comparare Iuliano, & non ſereniſſimum regem, qui Papæ & hoſtiæ adorationem condemnat, vt Ethnicam, Arianam idololatriam, & Neſtorianam Anthropolatreiam.

EXPLICATIO THESEOS.

IDola vt fecit Iulianus Apoſtata, ſecum
Corpore proſtrato relligione coli:
Sic cruſtæ ſecum miſſalis numina Papa
Efficit à populo prætereunte coli.
Namque leuant Miſſæ laganum ſupra caput altè,
Papæ quum Miſſas templa per alta canunt.
Plebs tunc curua Deum Miſſæ, cum miſsificante
Papa, cultu vno, mentis adorat inops.
Bernardus Papæ faſtum reprehendit acerbè,
Olim per plateas, quum veheretur equo.
Quod circumfuſa comitum ſtipante caterua,
Auro ſplendeſcens, regis ad inſtar erat.
Conſtantini illum ſucceſſoremq́ profatur,
Non humilis Petri conditione viri.
Creuit in immenſum Papæ ſed faſtus inanis,
Luciferiq́ inſtar, corde tumente nitet.
Nunc Papæ mos eſt humeris, hominumq́ lacertis
Lectica ferri, per fora, perq́ vias.
Hunc præit vt lictor miſſæ numen Cereale,
(Iſin vt olim aſinus) quod gerit albus equus.
Tempore Bernardi monachi, Papæ equus albus
Geſtabat, quum non cognitus iſte Deus;
Solenni pompa, Papis fuit ante viator
Mulus, cui cinerum ſarcina relliquiæ.

O decus egregium Papæ, illi namque viator
Pro mulo, missæ, nunc præit ipse Deus.

TESTIMONIA THESEOS.

Namque leuant, &c. Supra testimonijs demonstrauimus adorationem creaturarum, extra vnitatem Trinitatis existentium, esse Ethnicum errorem, idque in orthodoxo Iacobo probamus. Quod vero creatura sit hostia missalis clarum est; nam per verba consecrationis conficitur, vt in Missæ ceremonijs habetur; & Odo Cameracensis in expositione canonis ait: Sacerdotem orare, vt hostiam benedictam Deus efficiat, benedictam scil. diuinitate, vt Deus fiat. Stella clericorum ait: Quid potuit Deus plus facere sacerdotibus, quàm seipsum creare? Vnde clarum hostiam esse idolum, quia adoratur, & Papam cum idolo suo adorari.

Bernardus Papæ, &c. Bernardus lib. 4. de consideratione ad Eugenium Papam: Pastorem, inquit, te populo huic aut nega, aut exhibe; non negabis, ne cuius sedem tenes, te neges hæredem: Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris; absque his tamen credidit satis posse impleri, salutare mandatum, Si amas me pasce oues meas; in his non successisti Petro sed Constantino.

Iosephus Steuanus de oscul. ped. Ro. Pont. cap. de eleuatione, seu portatione Ro. Pont. p. 121. edit. Colonienſis, scribit in hunc modū: Ad hæc, inquit Ennodius diaconus in 6. synodo, gestatoriam sellam, Apostolicæ confessionis appellatam fuisse: quam, vt arbitror, lecticarij homines humeris sustinebant. Hinc Stephanus 2. Papa, vt refert Platina, & Franciscus Ioannetus cap. 90. humeris in Basilicam Saluatoris Constantianam, & inde ad Lateranam delatus est. Leo etiam cum summus vniuersalis Papa Romanæ Ecclesiæ tertio fuisset acclamatus, adnuente Othone Imperatore, ad Lateranense Palatium secundum con-

ſuetudinem, cum laudibus ducitur, & certo tempore (vt ait Luitprandus lib.6. cap.11.) in Eccleſia ſancti Petri ad ſummum ſacerdotiũ, facta conſecratione, attollitur Gregorius 9. gemmis & auro circumtectus, ad Lateranum ducitur. Quod præter Eſaiæ cap.50. Prophetiam à nobis copioſè cap.8.explicatam, ideo fieri arbitror, vt populum oueſque Chriſti ſibi creditas ſibi circumſpicere poſſit, eiſque fauſta precatione benedicere. Et populus rurſum, illum ſublimi loco præſidentem, commodè ſpectare, & ex vultu ſuum Paſtorem quiret agnoſcere, vt inde proteſtationem fidei concipiat maximam, quoties aſpicit Chriſti vicarium, & Petri in eo throno gloriæ ſucceſſorem.

Durandus Rational.diuin.lib.4. cap.41. de ſexta parte Canonis, prope finem, Mula etiam, Capellam Domini Papæ baiulans ſquillam fert, ob reuerentiam relliquiarum quas portat.

Theſis tertia.

RAtiones quibus ſchola Papana probare nititur, lignum crucis eiuſque imaginem adorari debere, ob contactum corporis Chriſti: & hoſtiam miſſalem latreia adorandam, quòd contineat in ſe Chriſtum Deum & hominem; ſunt Neſtorianæ blaſphemiæ, & crux atque hoſtia ſunt idola, quæ ſecum adorari faciũt Papæ: debuit ergo Bellarminus comparare Iuliano Papam Dominum & Deum ſuum, & non ſereniſſimum pijſſimumq; Regem, qui crucis & hoſtiæ adorationes idolomanias gentilicas & hæreticas eſſe credit.

EXPLICATIO THESEOS.

LIgna crucis Chriſti, pretioſo ſanguine tincti,
Papa ob contactum voce colenda docet.

Et

Et Missæ crustam votis, precibusq; colendam,
In se quòd claudat Numina vera Dei.
Orco Nestorij reuocat deliria dira,
Et fit Papalis Nestoriana schola.
Illa, ob contactum docuit Christi deitatis,
Ipsum hominem Christi cum deitate coli;
Papa crucem dicit, corpus tetigit quia Christi,
Debere & prono corpore, voce coli:
At legis tabulæ haud sunt relligione colendæ,
Has digitus quamuis contigit ipse Dei;
Ergo minùs multò tetigit quicquid caro Christi,
Diuina debet relligione coli.
Nestorius carnem Christi docuit venerandam,
In se Natum ipsum quòd gerat illa Dei;
Vtque Dei gerulum corpus docet esse colendum
Nestorius demens, dogmata falsa serens;
Sic schola Papalis laganum docet esse colendum,
Quòd Christi gerulum corporis illud erat.
Baiulus ille Dei si non est ore colendus,
Baiulus ore hominis non venerandus erit:
Sic acquisita haud est existentia nobis,
Sed naturalis sola colenda Dei.
Vera Dei nam principium existentia nescit,
In quocunque loco, nam Deus ipse locus.
Incipit haudque loco momento temporis esse,
Nam momentum in se temporis omne tenet.
Ergo Dei in lagano haud est existentia vera
Hæc, cui nec finis, principiumq; cluit.
At momenta diÿ missales propria norunt,
Et quibus incipiunt, & quibus intereunt:
Esse suum capiunt per vocis murmura mystæ,

Dentibus & muris desinit illud idem,
Si carie marcent species, aut vermibus escæ
Fiunt, tunc esse hoc desinit esse Dei.
Hinc sequitur species lagani non esse colendas,
Quamuis contineant numina vera Dei.
Inspeciata Dei ergo hæc existentia crustæ,
Naturæ veræ nescit habere modum.
Christum incarnatum (lagano non inspeciatum)
Sic & adorandum grex Ephesinus ait:
Sic crux, & claui Christi, sic spinea serta,
Cum tunica, tumulus, lancea fixa sinu;
Corporis ob tactum Christi non illa colenda,
Virtus sanctificans his nec inesse potest:
Virginis ipsa caro Christi nisi ventre fuisset
Iuncta Deo, nulla voce colenda foret.
Nec crux, nec laganum missæ, Christi nec imago,
Aluo in virginea iuncta fuere Deo:
Ast hæc latreiæ cultu docet esse colenda,
Deceptatricis turba profana scholæ.
Hunc Ephesi cultum synodus ratione refutat
Vt Gentile nefas, deliriumq; vetus:
Ergo Nestorij renouat deliria Papa,
Catholicíq; viri nomina falsa gerit.

TESTIMONIA THESEOS.

Nestorius docebat humanam naturam personæ Christi propter contactū deitatis in homine existentis adorandā his verbis. Concil. Ephes. pag. 125. editionis Græcæ. Οὐτω γὰρ τὸν κατὰ σάρκα Χριστὸν ἐκ τῆς πρὸς τὸν θεὸν λόγον σωαφείας, θεὸν ὀνομάζομεν. φανόμενον εἰδότες ὡς ἄνθρωπον. ἄκυρον ἀμφότερα τοῦ Παύλου κηρύσσοντος. ἐξ ἰουδαίων, φησὶν, ὁ χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς. ὁμολογεῖ τὸν ἄνθρωπον πρότερον. γὰ τότε

τῷ

τῇ τοῦ θεοῦ σωματείᾳ θεολογεῖν τὸ φαινόμενον. ἵνα μηδεὶς ἀνθρωπολατρεῖν τὸν χριστιανισμὸν ὑπονοήσῃ. Id est, vt habetur in edit. lat. Peltan. pag. 368. Sic & Christum quoque, quòd Dei verbo secundùm carnem coniunctus sit, (græcus habet ob contrectationem vel contactum verbi) Deum nominamus, in hominis similitudine apparuisse non ignari. Paulum vtrumque prædicantem audi: *Ex Iudeis*, inquit, *est Christus secundùm carnem, qui est Deus super omnia.* Primò hominem esse fatetur; mox ob eam, quam cum Deo sortitus est societatem, hominem illum Deum appellat, ne quis videlicet Christianos anthropolatras esse suspicetur. Idem Nestor. lib. 2. (pag. 47) Cyrilli aduersus eum, ait: Σέβωμεν τὸν τῇ θείᾳ σωματείᾳ τῷ παντοκράτορι θεῷ συμπροσκυνούμενον ἄνθρωπον. Id est: Veneremur hominem, qui ex diuina coniunctione (græc. contactum) cum omnipotente Deo simul adoratur. Hanc falsam adorationem condemnat Concil. Ephesin. pag. 23. edit. græc. his verbis: Ἆρα ἕν, ὡς ἄνθρωπον προσκυνήσομεν τὸν ἐμμανουήλ; μὴ γένοιτο. λῆρος γὰρ τοῦτο καὶ ἀπάτη, καὶ πλάνησις. διοίσομεν δὲ καθ' ὁδὲν τῆς κλίσεως λατρευκότων παρὰ τὸν κλίσαντα καὶ ποιητήν; ὅτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν ἐν τῷ ψεύδει: Id est, pag. lat. edit. 54. Ergone Emmanuelem vt solum hominem adorabimus? minimè gentium: isthuc enim nihil aliud foret quàm errare, in fraudem induci, ac delirare: hac siquidem ratione, nihil quicquam ab ijs dissentiremus, qui opificis & procreatoris loco creaturam adorauerunt, veritatemque, vt scriptum est, in mendacium conuerterunt. Idem Concil. p. 79. edit. græc. & pag. 237. lat. edit. Ἀλλ' οὐδὲ ἐκεῖνο φαμὲν, ὅτι κατώκησεν ὁ ἐκ θεοῦ λόγος ὡς ἐν ἀνθρώπῳ κοινῷ, τῷ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου γεγεννημένῳ. ἵνα μὴ θεοφόρος ἄνθρωπος νοοῖτο χριστός. Id est: Quamuis autem verbum carni secundum hypostasin vnitum fateamur; vnum tamen filium, ac Dominum Iesum Christum adoramus, &c. Et mox pag. 238. Sed neque Dei verbum in sacrę virginis filio veluti in communi quodam homine inhabitasse dicere quoque fas est; ne hac videlicet ratione Christus Deifer homo esse intelligatur.

Ibid.

Ibid. pag. ead. edit. græc. & pag. 238. edit. lat.

Εἰς οὖν ἄρα χριστὸς, καὶ υἱὸς καὶ κύριος. οὐχ ὡς συνάφειαν ἁπλῶς τὸν ὡς θεὸν ἔντητι τῆς ἀξίας, ἤγουν αὐθεντίας ἔχοντας ἀνθρώπου πρὸς θεόν. οὐ γὰρ ἑνοῖ τὰς φύσεις ἡ ἰσοτιμία. καὶ γοῦν πέτρος, τε καὶ ἰωάννης ἰσότιμοι μὲν ἀλλήλοις, καθὸ καὶ ἀπόστολοι, καὶ ἅγιοι μαθηταί. πλὴν οὐχ' εἷς οἱ δύο οὔτε μὴν κατὰ παράθεσιν, τὸν τῆς συναφείας νοοῦμεν τρόπον. οὐκ ἀπόχρη γὰρ τοῦτο πρὸς ἕνωσιν φυσικὴν, οὔτε μὴν ὡς κατὰ μέθεξιν σχετικήν. ὡς καὶ ἡμεῖς κολλώμενοι τῷ κυρίῳ κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἓν πνεῦμα πρὸς αὐτὸν. μᾶλλον δὲ τὸ τῆς συναφείας ὄνομα παραιτούμεθα, ὡς ἐκ ἔχον ἱκανῶς σημῆναι τὴν ἕνωσιν.

Id est: Vnus itaque est Christus, & Filius, & Dominus absolutè; non ita, quasi homo eam tantum cum Deo coniunctionem (græc. contactum) sortitus sit, quæ in sola dignitatis, vel auctoritatis vnitate, hoc est, æqualitate posita sit: non enim honoris æqualitas naturas vnit; alioqui Petrus & Ioannes, qui paris dignitatis extiterunt; (ambo namque fuerunt Apostoli, ambo sancti, ambo discipuli) vnus essent, non duo. Nec rursum appositione, vel quadam quoque contignatione aut conglutinatione eam vnitatem metimur: Ea enim ad naturalem vnionem constituendam sat esse nequit: neque secundùm habitus participationem, quomodo nos Domino cohæremus, vnusque, vt scriptum est, cum eo spiritus efficimur. Immò verò τὸ συναφείας, hoc est, coagmentationis, connexionis, vel contignationis vocabulum tanquam ad vnionem hanc exprimẽdam minùs idoneum non iniuria hic repudiamus.

Ibid. pag. 80. edit. græc. & pag. 239. lat. edit.

Παραιτούμεθα δὲ λέγειν ὅτι χριστοῦ. διὰ τὸν φοροῦντα, τὸν φορούμενον σέβω. Διὰ τὸν ἀόρατον, προσκυνῶ τὸν ὁρώμενον. φρικτὸν δὲ πρὸς τούτῳ κἀκεῖνο εἰπεῖν. ὁ ληφθεὶς τῷ λαβόντι συγχρηματίζει θεός. ὁ γὰρ ταῦτα λέγων, διατέμνει πάλιν εἰς δύο χριστοὺς, καὶ ἄνθρωπον ἵστησιν ἀνὰ μέρος ἰδικῶς, καὶ θεὸν ὁμοίως. ἀρνεῖται γὰρ ὁμολογουμένος τὴν ἕνωσιν, καθ' ἣν οὐχ' ὡς ἕτερος ἐν ἑτέρῳ συμπροσκυνεῖται τις, οὔτε μὴν συγχρηματίζει θεός. ἀλλ' εἷς νοεῖται χριστὸς ἰησοῦς, υἱὸς μονογενὴς, μιᾷ προσκυνήσει τιμώμενος μετὰ τῆς ἰδίας σαρκός.

Id est: Auersamur eos quoque, qui de Christo ad hunc modum loquuntur: Propter eum, qui induit, indutum veneror; & propter inaspectabilem aspectabilem adoro. Præterea & hoc quoque non absque horrore auditur: Assumptus propter assumentem appellatur Deus: Qui enim hoc

hoc modo loquuntur, vnum rursum Christum in duos diuidunt, & hominem per se seorsim, & Deum similiter per se seorsim collocant, veramque vnionem hac ratione apertissimè inficiantur: secundùm hanc enim alter veluti simul cum altero non adoratur, neque simul cum altero Deus nuncupatur. Sed vnus idemque Christus Iesus, vnigenitúsque Dei Filius animo concipitur. Vbi obiter obseruandum, Peltanum malè transtulisse hæc verba, διὰ τὸν φορέντα, τὸν φορέμενον σέβω: id est, propter ferentem eum qui fertur adoro.

Cyrillus Thesaur. lib. 4. cap 1. pag. 175. edit. Parisiens. Nescio quis diuinarum scripturarum peritus huiusmodi poterit nugas audire. Nam illi quidem prædicant Deum recentem non esse nobis colendum: vos autem recentem, & nuper factum Deum non erubescitis filium dicere. Quod enim participatione Dei reformatur ad ipsum, acquisitam habet, non naturalem deitatem: quod porrò acquisitum est, prius non habebatur, sed postea contigit atque accessit: quare amitti etiam facile potest. Omne namque quod datur, auferri etiam potest: & quod accessit, non est inconueniens si abibit. Præsentia Christi in hostia est acquisita & non naturalis, incipit enim per consecrationem, & desinit per putrefactionem; ergo sacramentum illud, tanquam vnum quid cum Christo, non colendum.

Thomas alijque Scholastici docent, ligna crucis Christi adorari debere ob contactum corporis, & sanguinis Christi. Nestorius verò docuit ipsum Christi corpus adorandum propter σωαφείαν, contactum deitatis. Vnde clarum est, lignum crucis multò minùs adorandum ob contactum corporis, quod sanctificationem à deitate cui adunatur accepit. Concilium enim Ephesinum non admittit, imò condemnat adorationem Nestorianam ob contactum corporis, quod est creatura. Concil. Triden. docet, Sacramentum Eucharistiæ adorandũ, eo quod contineat in se Christum, quod tamen deitati vnitum minime est. Si verò ipsum corpus theophoron solummodo esset, & non vnitum

deitatj, non esse adorandum: multò sanè minus sacramentum σωματόφορον, quando eleuatur in altum supra caput sacerdotis missificantis, aut quando per platæas gestatur, adorandum, & solenni festo annuatim colendum, & Dei creatoris nomine nuncupandum. Fatendum ergo necesse est, Papam missificantem coadorari cum missali idolo suo, & quando illum præit in pompa sacramentum equo vectum, Papam cum equitante idolo adorari, ideoque Papas esse verè imitatores Iuliani, qui se cum idolo suo adorari fecit.

Thesis quarta.

PApæ in blasphema imagine Trinitatis, Deum Patrem infulis Pontificijs amictum, pingi & fingi faciunt, & Cathedra sedentem, & triplicem coronam gestantem, ad instar Paparum: adeo vt Papæ suas imagines pro Deo Patre adorandas in templis erigant, & Iuliani fraudem longe superent.

EXPLICATIO THESEOS.

EXuperant Papæ Iuliani immania facta,
Pro Ioua faciunt nam sua signa coli.
Ille Iouis secum venerari numina fecit,
Militiæ in labaro pictus vterque fuit.
Hac techna miles Christi deceptus, vtrumque
Cultu vno coluit, cum Ioue signa ducis.
Papa sua at templis statuit simulachra colenda,
Hisq; Dei Patris nomina sancta dedit.
Nam Triadem sanctam triplici sub imagine fingit,

In

In qua Papæ inſtar pingitur ipſe pater.
Papali trino Caput eſt diademate cinctum,
Horrida frons rugis, barbáque cana ſenis.
Indicat hæc facies Papæ, quæ plena minarum,
Immanes mores, ingeniúmque ferox.
Flaminis hanc auro læna intertexta coruſco
Veſtit, cui tunica eſt linea Pontificis.
Præſidet in cathedra, Paparum more ſuperbo,
Férque crucifixi lurida ſigna manu.
Sandalio affigi debebat triſtis imago,
Et Picti Reges oſcula ferre pedi.
Huic caput obumbrat penna ſtridente columba,
Hac forma colitur Spiritus ipſe Dei.
Sic Triadis vice, triplex hæc veneratur imago,
Quamuis haud ſimilis, forma putanda Deo.
Corporeus non eſt Deus, aſpectabilis haud eſt,
Solo oculo mentis conſpiciendus adeſt.
Papa at qui ſe vult velut aſpectabile numen,
Terrenúmque Deum, per loca cuncta coli;
Signa Dei Patris propria ſub imagine picta,
In templis, & per compita cuncta locat.
Penſilis effigies Patris hæc inſigne tabernis
Eſt, vbi ſcortorum fœtida turba frequens.
Hoc Papæ facinus ſuperat crimen Iuliani,
Papæ illo ſed plus impietatis habent.
Ille Iouis ſecum venerari numina fecit,
Communiſq; idem cultus vtriſque fuit.
Pro Patre Papa ſuam ſed formam vult venerari,
Partem haud dat cultus bellua fœda Patri.
Effigies triplici hæc quamuis diademate fulget,
Natura haud eadem eſt cum deitate Patris.

Huic igitur quisquis prosternit corpora terræ,
Est idololatres numina falsa colens.
Arius in synodo damnatus vt ethnicus amens,
Quòd coluit quod opus credidit esse Patris.
Papæ at Romani multo est amentia maior,
Nam pro Patre Deo vult sua signa coli.
Papicolis Triadis personæ est sic vice primæ,
Effigies Papæ nomine culta Patris.
At Christi seruis non relligione colenda est
Illa cruci affixi tristis imago Dei.
Christi etenim viuum corpus nisi cum deitate
Vnitum, haud debet relligione coli.
Mortua forma viri non vnita est deitati,
Danda ergo haud illi cultio dia Dei.
Sic capiti Papæ debebat forma columbæ
Appingi, triplex vt foret ille Deus.
At natura idem nisi cum Patre Spiritus esset,
Illi haud à nobis danda latreia foret.
Hæc auis haud vnita est naturæ deitatis,
Haud ergo votis est veneranda pijs.
Hic equitans Christus pando debebat asello
Appingi, triplex viua vt imago foret.
Quadrupedis, volucris, simul & Papæ simulachrum,
Pro Triade vt coleret factio papicolûm.
Vtque homines fallat, cultus, docet, iste refertur
Prototypum ad Patrem, turba profana scholæ.
Filius ipse Dei vera est quia Patris imago,
Idem vnusque Deus cum Patre Prototypo;
Vt Patri æquæuus cultu veneratur eodem
Latreiæ, vt Patrum pagina sancta docet.
Mortua at effigies, quæ Prototypi deitatis

Nil

Nil habet, haud animis eſt veneranda pijs.
Vltrà qui Triadem quiduis male ſanus adorat,
Impius eſt, docet vt priſca choræa Patrum.
Quodque Dei ſoli naturæ danda latreia,
Iconoplaſtæ ipſi cum ratione probant.
Papani at Triadis ſimulachra colenda latreia,
Vt Triadem veram, mente furente docent.
Sic Triadis cultum indiuiſum Papa profanat,
Pro Triade hic Triadis nam ſimulachra colit.
Perfidus eſt fidei deſertor, Apoſtata Papa,
Et fidei violat ſymbola priſca Patrum.
Ergo homo peccati eſt, exlex, & perditionis
Filius, vtque Deus templa per alta ſedet.
Nonne effert ſeſe ſuper omnia quæ venerantur,
Qui pro Patre Deo ſe facit arte coli?
Proq; Deo vero ſe iactat, qui ſimulachro
Dat proprio magni nomina dia Dei.

Vide Teſtimonia primæ Theſeos, quibus probatur Papã violare fidem & ſacramentum baptiſmi per adorationem creaturarum exiſtentium extra vnitatẽ ſanctæ Trinitatis.

TESTIMONIA THESEOS.

Papas per imaginem Trinitatis, renouare hæreſes Anthropomorphitarum: & Melitianorum, his teſtimonijs probatur. Athanaſius, Auguſtinus, Theodoretus, & alij Patres, docent Deum non habere vllam imaginem viſibilem, ſed Filium Dei eſſe eius inuiſibilem imaginem, in qua ſe contuetur; & imaginem Dei ad quam creatus eſt homo, in mente & ratione conſiſtere. Nihilominus Apoſtatica & Laicopapalis ſedes viſibilem Dei Patris imaginem in omnibus templis erexit, illamque ad formam Papę Pontificijs infulis adornati adorandam propoſuit. Hocque blaſphemo facto Anthropomorphitarum deliria renouauit, qui Deum ad hominis imaginem fingebant: & in Melitianorum hæreſim impingunt, qui docebant corpus hominis, non animam, eſſe imaginem Dei. Auguſt. hær. 76.

lib. quod vult Deus.

Papæ ergo veteres hæreticos ſuperant: nam non ſolum Deum ad ſuam imaginem efformant, ſed, quod magis blaſphemum, ſuam imaginem pro Deo Patre adorari faciunt, quæ certiſſima nota eſt illum eſſe Archiapoſtatam, quem B. Paulus ſeſſurum in templo Dei, vt Deum, prædixit, 2. Theſſ. 2. Quod verò Trinitatis blaſphema imago recepta ſit in Papana ſynagoga, teſtimonio Toſtati Abulenſis, Hiſpani polygraphi, probamus, cuius verba hæc ſunt in cap. 4. Deut.

Sculpt. ſimil.) Id eſt, ſtatuam corpulentam quæ per dolationem & cauationem fabricatur: *aut imaginem.* 1. Superficialem figuram depictam, licet vtrumque malum & prohibitum ſit, ſtatua tamen magis prohibita erat, quam imago, quia magis motiua eſt.

Ibidem. Chriſtianis imagines & ſtatuæ permiſſæ ſunt propter ſimplices, quia non eſt ſuſpicio talis quia ad colendum ligna & lapides inclinentur; ſed melius eſſet fortè imagines quam ſtatuas fieri, quæ cum corpulentiam nullam gerant, minus motiuæ ſunt, nec ita ſimplices decipi poſſunt. Quædam tamen ſunt, quæ nec in ſtatua, nec figura congrue aſſignari poſſunt, ſicut Trinitas beata quæ nullis corporeis lineamentis circũſcripta: immo imagines tres figurantes tres perſonas licet Eccleſia receperit, vel diſſimulauerit, non recte videntur ſignare; magis enim erroris inductiuæ ſunt.

Hæc Papana blaſphemia repugnat doctrinæ Auguſtini, epiſt. 119. cap. 11. ad Ianuarium: Vt in primo (inquit) præcepto Patrem intelligamus, vbi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo, non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla imago eius coli debet, niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe, nec ipſa pro illo, ſed cum illo. Hic loquitur Auguſtinus de Filio Patri conſubſtantiali.

Octauius apud Minut. Fœlicem pro Chriſtianis ait: At enim quem colimus Deum, nec oſtendimus, nec videmus; immo ex hoc Deum credimus, quòd eum ſentire poſſumus,

mus, videre non possumus. Statius poeta quamuis ethnicus, & sola luce naturali præditus, ait,

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo:
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

Sic Martialis lib. 1. epigr.

Qui fingit sacro ex auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.

Deum vero nullam aliam imaginem habere quàm Filium coæternum, hisce probamus testimonijs. Athanasius tom. 1. pag. 150. & seq. disput. 2. contra Arianos: Εἰ γὰρ οὐκ ἦν ὁ υἱὸς πρὶν γεννηθῇ, οὐκ ἦν ἐν τῷ θεῷ ἡ ἀλήθεια. ἀλλὰ τοῦτο λέγειν οὐ θέμις. τοῦ γὰρ πατρὸς ὄντος ἦν ἂν ἐν αὐτῷ ἡ ἀλήθεια, ἥτις ἐστὶν ὁ υἱὸς ὁ λέγων, ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια· καὶ τῆς ὑποστάσεως ὑπαρχούσης πάντως εὐθὺς ἦν δεῖ τὸν χαρακτῆρα, καὶ τὴν εἰκόνα ταύτης. οὐ γὰρ ἔξωθέν ὅτι γραφομένη τοῦ θεοῦ εἰκών. ἀλλ' αὐτὸς ὁ θεὸς γεννητής ὅτι ταύτης. ἐν ᾗ ἑαυτὸν ὁ ὁρῶν πρόσχαίρει ταύτῃ. Id est: Si enim non fuit Filius priusquam fieret, non fuit semper in Deo veritas, sed id nefas est dictu: siquidem Patre existente existebat semper in eo veritas, quæ Filius est, qui dicit; Ego sum veritas; & substantia Patris existente, omnino statim oportuit & characterem & imaginem sui ipsius existere: Non enim extrinsecus depicta est imago Dei, sed Deus ipse eius imaginis genitor est, in qua seipsum contuendo exhilaratur. Arnobius lib. 1. aduers. Gent. Deum (inquit) nulla delineat forma corporalis. Hoc eodem sensu Augustinus loco supra citato docet, Deum nullam aliam habere imaginem quàm Filium inuisibilem eius imaginem. Et Epiphanius lib. 3. tom. 1. hæres. 70. multis rationibus probat contra Audianos, hominis corpus non esse imaginem Dei.

Quod Lactantius lib. 2. cap. 2. scribit contra Ethnicos, egregiè id iconolatris competit: ait enim, Adorant ergo insensibilia qui sentiunt, irrationabilia qui sapiunt, exanima qui viuunt, terrena qui oriuntur è cœlo. Iuuat ergo, velut in aliqua sublimi specula constitutum, vnde vniuersi exaudire possint, Persianum illud proclamare:

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane.

O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes.

Cœlum potius intuemini, ad cuius spectaculum vos excitauit ille artifex verus Deus: ille vobis sublimem vultum dedit: vos in terram curuamini: vos altas mentes, & ad Patrem suum cum corporibus suis erectas, ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat, non quadrupedes esse natos. Fas non est, cœleste animal cum terrenis, in terramque vergentibus versari: quid vos beneficijs cœlestibus orbati, proniúque in humum vestra sponte procumbitis? Humi enim miseri volutamini, cum deorsum quæritis, quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista mortalium digitorum sunt ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata.

Origenes contra Celsum lib. 6. pag. 281. græc. edit. & lat. lib. 8. pag. 396. Ἀγάλματα δὲ οὐ πρέποντα θεῷ ἀναθήματα, οὐχ ὑπὸ βαναύσων τεχνιτῶν κατεσκευασμένα, ἀλλ' ὑπὸ λόγου θεοῦ τραπέμθμα, καὶ μορφούμενα ἐν ἡμῖν, αἱ ἀρεταὶ· μιμήματα τυγχανόυσαι τοῦ πρωτοτόκου κτίσεως, ἐν ᾧ ὄντι δικαιοσύνης, καὶ σωφροσύνης, καὶ ἀνδρείας, καὶ σοφίας, καὶ εὐσεβείας, καὶ πᾶσι λοιπῶν ἀρετῶν, παραδείγματα. ἐν πᾶσιν οὖν ὄντι (τοῖς κατὰ τὸν θεῖον λόγον σωφρονοῦσιν ἑαυτοῖς κατασκευάσασι, καὶ δικαιοσύνην καὶ ἀνδρείαν, καὶ σοφίαν καὶ εὐσέβειαν, καὶ πᾶσι λοιπῶν ἀρετῶν τὰ κατασκευάσματα) ἀγάλματα. ὃι πρέπον εἶναι πεπείσμεθα πμᾶσθαι τὸ πρωτότυπον πάντων ἀγαλμάτων, τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ ὁράτου, τὸν μονογενῆ θεόν. Id est: Simulachra autem Deo dicanda sunt non fabrorum opera, sed à verbo Dei dedolata formataque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem primogeniti totius creaturæ, in quo sunt iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, sapientiæ, pietatis, cæterarumque virtutum exempla. Hæ sunt statuæ Deo dicatæ in animis iustitiam iuxta præceptum Dei, & fortitudinem & pietatem, reliquásque virtutes exercentium, quibus decenter honorari credimus omnium huiusmodi statuarum archetypum primum, imaginem inuisibilis Dei, Deum vnigenitum.

Iconolatræ 2. Niceni Concilij abutuntur regula Basilij Magni, qui de Filio, vt imagine Patris naturali loquens, ait,

ait, Honorem imaginis referri ad Prototypū, & veteratoriè hanc regulam ad imaginem pictam vel fictam applicant. Et vt omnibus manifesta sit illorum fallacia, adscribam verba ipsa Basilij, ex quibus manifestum est illum loqui de naturali imagine Patris, & non de ficta aut picta eius similitudine.

Vtque homines fallat, &c.

Basilius de Spir. san. ca. 18. ὅτι βασιλεὺς λέγεται, καὶ ἡ τοῦ βασιλέως εἰκών, καὶ οὐ δύο βασιλεῖς. ὅτε γὰρ τὸ κράτος σχίζεται, ὅτε ἡ δόξα διαμερίζεται. ὡς γὰρ ἡ κρατοῦσα ἡμῶν ἀρχὴ καὶ ἐξουσία μία, οὕτω καὶ ἡ παρ' ἡμῶν δοξολογία μία, καὶ οὐ πολλαί. διότι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ, ὅτι τὸ πρωτότυπον ἀναβαίνει. ὃ ἔν ὄντι ἐνταῦτα μιμητικῶς ἡ εἰκών, τοῦτο ἐκεῖ φυσικῶς ὁ υἱός. καὶ ὥσπερ ἐπὶ τῶν τεχνιτῶν καλὰ τὴν μορφὴν ἡ ὁμοίωσις, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς θείας ἀσωμάτου φύσεως, ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς θεότητος ὄντι ἡ ἕνωσις, &c. Id est: Quoniam & Rex dicitur regis imago, non autem duo reges. Neque enim potestas scinditur, neque gloria diuiditur. Quemadmodum autem principatus, ac potestas nobis dominans vna est: sic & glorificatio quam illi deferimus, vna est, non multæ. Itaq; imaginis honor ad exemplar primū refertur.

Et ibidem: Quod igitur hic est per imitationem imago, hoc illic natura filius: & quemadmodum apud artifices imitatio fit ad formam, ita in diuina incompositaque natura in communione deitatis est vnio, &c.

Thesis quinta.

ARgumenta quibus Genebrardus Theologus Parisiensis nititur defendere adorationem Papæ per osculationem pedum, sunt meræ nugæ, & impostura Papanæ.

EXPLICATIO THESEOS.

Corneli factum Petrus reprehendit acerbè,
Namque honor ad solum pertinet iste Deum.

Illud Gregorius factum condemnat, honorem
Deberi hunc homini, cum ratione negat.
Namque Creatori prosterni hominem docet vni,
Debere, haud homini conditione pari.
Nec voluisse Petrum positas transcendere metas,
Ne fastus mentem deciperet{q}. tumor.
Papicolax scriptor Corneli at comprobat actum,
Strauit humi qui se subijciendo Petro.
Hinc infert Papæ pedibus danda oscula Regum,
Sunt data quod Papis omnia iura Petri.

TESTIMONIA THESEOS.

Gregor. lib. 21. Moral. cap. 11. Primus Pastor Ecclesiæ, cum adorante se Cornelio, super se sibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis suæ citius recurrit dicens; Surge, & ipse ego homo sum. Quis enim nesciat quod conditori suo homo debeat, & non homini, prosterni? Quia ergo humiliari sibi plus quam debuit proximum vidit, ne vltra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognouit, quatenus illati sibi honoris elationem frangeret, ex considerata æqualitate conditionis.

Papicolax scriptor Corneli comprobat actum.

Gilbertus Genebrardus Theologus Parisiensis in Chronolog. ad an. Christi 32. rationibus ineptissimis & homine docto indignissimis vtitur, vt adorationem Papæ per pedum osculationem legitimam esse persuadeat: eius verba adscribam, vt hinc iudicent Christiani omnes cuiuscunque professionis, quanta sit hominis futilitas. Pedes (inquit) Apostolici tunc in veneratione fuerunt, quod scripsisset Esaias 52. *Quàm speciosi pedes euangelizantium bona.* Vnde Act. 4. & 5. ad pedes Apostolorum ponuntur agrorum pretia. Act. 10. procidentem ad pedes suos Cornelium Centurionem Petrus erexit, summissius quidem se gerens, licet Apostolica maiestas sit cæteris dignior quàm

He-

Heliſeus, qui Sunamitidem ad pedes ſuos dimiſit, 4. Reg. 4. quàm Daniel, qui ſe adorari permiſit, Dan. 2. quàm Ioſeph, qui ſæpius ſe à fratribus adorari fiuit, Gen. 42. 43. 50. quàm Iaddus Aaronius Pontifex, qui Alexandrũ Magnum equo deſilientem, ſeque ad ipſius pedes reuerenter abijcientem ſuſtinuit; ſummiſſius inquam ſe gerens, ſed tamen relinquens veſtigium oſculationis pedum Pontificiorum, quam Romanis Pontificibus vel potius ſacræ ipſorum vnctioni atque miniſterio (docente Apoſtolo 1. Cor. c. 4. quia Deus reuera ſit in vobis) à prima piorum memoria exhibitam, vt hæreticos noſtri æui exulcerem, doceo.

Philippus primus Imp. Chriſtianus ſe Fabiano reuerenter prouoluit ſub an. 250. Niceph. lib. 5. cap. 25. Euſeb. lib. 6. cap. 26. Conſtantinus Magnus primus poſt eum Chriſtum profeſſus, tenens frænum equi Sylueſtri, vſque ad Lateranum, propter reuerentiam & venerationem B. Petri, ſtratoris officio functus eſt. Photius in Nomocanone. Eſt autem ſtrator, qui Dominum in equum attollit. Græca ſic habent: καὶ κρατοῦντες τὸν χαλινὸν τοῦ ἵππου αὐτοῦ, διὰ τὴν προσκύνησιν καὶ τὸν φόβον τοῦ ἁγίου πέτρου, στράτορος ὀφφίκιον ἐποιήσαμεν. Quæ & Theodorus Balſamon citat, vt doceat ſuum Conſtantinopolitanum Patriarcham multa habere ex priuilegio, quæ ex iure Romanus Pontifex, propterea{que} Conſtantini donationem ſtudioſè in Conſtantinopolitanorum archiuis ſeruari.

Iuſtinianus & ipſe Magnus, an. 535. Agapetum adorauit. Naucl. lib. 2. gener. 18. Iuſtinianus 2. Conſtantinum Papam huius nominis primum Conſtantinopolim accitum non modò amplectitur, ſed & venerabundus eius pedes exoſculatur. Blondus lib. 10. Platinam 90. Papa, ſiue iuxta Cuſpinianum huic cæremoniæ infeſtum, venerabundus ſeſe ad pedes eius demiſit. Pipinus Stephano Papæ obuiam factus, eius pedibus oſcula impreſſit, frænoque Pontificis equum in regiam duxit. S. Anſelmus Lucenſis lib. 1. Collectaneorum. Carolus Magnus prius Pontificis

(Adriani) pedes oſculo contigit, quàm ſe illi complectendum daret. Carolus idem, Stephani 2, Adriani 1, Leonis 4, & omnes qui prope aderant morem antiquũ ſeruantes (Nota) pedes exoſculati ſunt, Platina in Papa 94.95.96.

Sic Henricus 4. Benedicti tertij, & Paſchalis 2. Idem in 105.& 107. Creſcentius Romanæ vrbis conſul Ioannis 17. pedes oſculatus cum omnibus ſeditionis auctoribus. Idem in 144. Leo ſupplex Gelaſij ſecundi, Fredericus Alexandri 3. Idem in 167,168. cui & dixerit, Non tibi, ſed Petro. Reginaldus Polus pro vnitate Eccleſiæ lib. 2.

Richardus Hannibal ob Cardinales in carcerem conjectos interdictus, ad Matthæi Vrſini Card. à Martino 4. delegati pedes prouolutus, laqueum collo gerens in maximum pœnitentiæ ſignum, abſoluitur. Platina in Papa 177.& 196.

Sigiſmundus Imp. in Concilio Conſtantienſi Martinum quintum proſtratus veneratur. Idem in 214. Eundem Brachius tyrannus & Ioannes vigeſimus tertius, in Concilio eodem antè abrogatus, prouoluti ſalutarunt. Idem in 215. Albertus Occidentis Imp. & Ioannes Paleologus Orientis, antè Eugenij quarti ſacros pedes in Concilio Florentino ſe præbuerunt, in 216. Reges Francorum & Angliæ Papæ Alexandri, Sigebertus an. 1163.

Quod etiam in alijs obſeruatum. Leontius Antiochenus apud Suidam ad Euſebiam Conſtantij Imp. vxorem, rogantem vt ſe viſeret. Si me vis (inquit) ad te venire, ſeruato mihi reuerentiam Epiſcopis conuenientem, vt ingrediar quidem ego, tu verò mox è celſo tuo ſolio deſcendens, cum pudore mihi occurras, καὶ τὴν κεφαλὴν ὑπόσχῃς ταῖς ἐμαῖς χερσὶν, εὐλογιῶν ἀξιωμένη, & caput ſupponas meis manibus, benedictionem poſtulans. Deinde ſedeam quidem ego, tu autem ſtes reuerenter, nec ſedeas, donec ſigno iubeam. Si his parere vis, viſam te. Sin minus, ſcito te non obtenturam, vt nos τὸ προσηκόντως τιμῆς τοῖς ἐπισκόποις καθυφειμένους, vt nos inquam honorem Epiſcopis debitum prodentes, in diuinum ſacerdotum ius (θεσμὸν) ſimus iniurij.

Suidas

Suidas in Leontio. Nam oſculum manuum, capitis demiſſionem, & alia eiuſmodi Epiſcopis fuiſſe exhibita ex his etiam liquet. Ad Eccleſiam curris, Epiſcopum videre deſideras, ad eius pedes volutaris, Aug. de verbis Apoſt. ſer. 18. Regum colla & principum ſubmittuntur genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum ſe credunt communiri. Ambroſ. de dignit. ſacerd. cap. 2. Valentinianus Imp. obteſtatur Epiſcopos, vt Mediolani talem eligerent Epiſcopum, cui ſincere capita ſubmitteret. Theod. lib. 4. cap. 5. Trip. lib. 7. cap. 8. Denique oſcula manibus Epiſcopi fuiſſe impreſſa è Paulino Nolano in vita Diui Ambroſij perſpicitur. Quidni igitur hæc aut etiam maiora Epiſcoporum Epiſcopo, vt Romanum appellat Tertullianus, exhibeantur?

Addo verba Laſicij Sarmatæ Lutherani è libro de Theologia Moſcouitica, Spiræ impreſſo an. 1582. pag. 142. Adorari reges atque magiſtratus non neſcimus, quippe qui propter ipſam maieſtatem imperij, qua conſeruant & regunt cœtus humanos, inter Deos referantur, Pſalm. 82. 138. Exod. 21, & 22. eamque ob cauſam in ſolio Dei, quaſi eius in terris Vicarij ſedere dicuntur. 1. Paral. 28. Merito hæc igitur de illo ſcripta, Incuruauerunt & adorauerunt Dominum ac Regem. 1. Paral. 29. & de Ioſepho altero Ægypti rege, Gen. 42. vt plura præteream. Item Regino lib. 2. de Carolo Magno an. Dom. 801, Carolus rex à Leone Papa coronatus die natalis Domini, poſt laudes more antiquorum principum adoratus eſt. Iuſtinus quoque lib. 6. Perſas ſuos reges adorare ſolitos eſſe ſcriptum reliquit. Idem ego vidi in Anglia. (tu ergo hæretice probas adorari reginas fœminas, & non ſuſtines pedes viri, Dei vices expreſſius agentis, oſculari.) Et hic quidem cultus communis eſt illis cum Deo, cæteri minimè, de quibus Cælius Rodiginus lib. 22. Hęc iſte. Vbi obſerua cæcitatem, merito adorari principes & magiſtratus laicos atque adeo fœminas, & hoc in ſacris magiſtratibus & Pontificibus Dei Vicarijs expreſſioribus deteſtari. Quamquam nos non

Pontifices adoramus vel adorandos docemus, ſed oſculamur, vel oſcula eorum pedibus figimus. Hic animaduertat lector veritatis amans, verba Eſaiæ cap. 52. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona*, pertinere ad omnes verbi præcones. Propheta verò loquitur de pulchritudine doctrinę Euangelij, & non de pedibus hominis. Et ſi pedes ideò adorandi quia pulchri, hac ratione omnia pulchra eſſent adoranda. Locus ipſe integer ſatis indicat Prophetam loqui de regno Chriſti, id eſt, de prædicatione Euangelij, ideoque locum integrum adſcribam, vt habetur in vulgata editione. Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sioni, Regnauit Deus tuus. Vox ſpeculatorum tuorum, leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, quum conuerterit Dominus Sion.

Huc facit quod Auguſtinus homilia 24. ait, Secura ergo quælibet anima à multa nequitia per Domini gratiam ſe liberandam, tanquam immunda proſtitutione mundanda in Eccleſiam credat, accedat ad pedes Domini, quærat veſtigia Domini, confiteatur lachrymas fundens, tergat capillis ſuis. Pedes Domini, prædicatores Euangelij, capilli mulieris ſuperfluæ poſſeſſiones. Tergat capillis, tergat prorſus, operetur miſericordiam, & cum terſerit oſculetur, accipiat pacem, vt habeat charitatem. Videant ergo Laicopapani quàm horrendum in modum ſcripturas detorquent doctores & ſeductores eorum.

Factum Cornelij Act. 10. ver. 25. ab ipſo Petro reprehenditur ver. 26. Petrus eleuauit eum dicens, *Ego ipſe homo ſum.* Et Gregor. 1. Pap. lib. 21. Moral. cap. 11. hoc Cornelij factum condemnat: Quis (inquit) de hoc facto, de Cornelio loquens, neſciat quod conditori ſuo homo debeat, & non homini proſterni? Vide ſupra locum integrũ.

Futilis iſte nugator, Alexandri Magni factum erga Iaddum ſummum Sacerdotem Iudęorum pro adoratione Papæ affert; ſed vt eius peſſima fides omnibus comperta ſit,

locum

locum Ioſephi ex Antiq.lib.11. cap.vlt. adſcribam. Alexander (inquit) vt vidit è longinquo candidatum populum, & ſacerdotes ante agmen in amictu byſſino, Pontificemque in ſtola hyacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei nomine: ſolus ad eum accedens nomen illud adorauit, & ſalutauit Pontificem. Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum conſalutantibus, & in orbem cingentibus. Ex hac Ioſephi narratione clarum eſt, Alexandrum adoraſſe nomen Iehouæ quod inſcriptum erat in lamina frontis tiaræ ſummi ſacerdotis, & ſalutaſſe ipſum Sacerdotem.

Diſcite lectores Chriſtiani, quæ fides adhibenda Genebrardo in hiſtoria, qui tam impudenter mentiri non erubeſcit.

Iob cap.31. vitæ ſuæ innocentiam narrans, ſe à falſa creaturæ vltra creatorem adoratione abſtinuiſſe profitetur, verſu 26. & ſequentibus: *Si* (inquit) *vidi ſolem quum fulgeret, & lunam incedentem clarè, ſeduxit ſe in abſcondito cor meum:* id eſt, vt annotat doctiſſimus Vatablus: Si adductus ſum in hoc, vt adorarem ipſum ſolem, & oſculata eſt manus mea os meum, etiam hoc fuiſſet iniquitas iudicata, quia abnegaſſem Deum deſuper.

Si authore Iob adorare creaturam per oſculationem manus, eſt abnegatio ſuperni Dei, multò certè magis adoratio Papæ per oſculationem pedum eſt abnegatio Dei & idololatria.

Quòd exemplo Philippi primi Imperatoris Chriſtiani probare nititur Genebrardus loco citato, adorãdos Papas oſculatione pedum, ipſam hiſtoriam integram adſcribam, vt omnibus Chriſtianis cuiuſcunque profeſſionis compertum ſit, quàm impudens ſit hæc Genebrardi contra hiſtoriæ veritatem fictio. Euſeb. hiſtor. Eccleſ. lib.6. cap.27. edit. lat. Chriſtophorſoni Pontificij. Vbi (inquit) Gordianus ſex annis continuis Romanorum obierat Imperium, Philippus vnà cum filio Philippo ſuccedit. Fama eſt iſtum (Chriſtianus namque erat) cum precationum in die poſtremæ

ſtremæ vigiliæ Paſchatis vnà cum multitudine in Eccleſia particeps fieri vellet, non prius ab Epiſcopo, qui tum Eccleſiæ præerat, permiſſum eſſe intrare, quàm ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabāt, ſe ſua ſponte collocauiſſet: Epiſcopumque dixiſſe eum non alia conditione, niſi iſtud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in Eccleſiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti, Epiſcopo morem geſſiſſe, & ingenuam modeſtiam ac religioſam piamque affectionem, Dei timore incitatam reipſa declaraſſe memorant. Ex hac hiſtoria luce clarius eſt, Epiſcopum nihil Imperatori ſuaſiſſe, niſi vt more recepto Eccleſiæ, inter reliquos pœnitentes ad tempus ſtaret, & pœnitentiam ageret antequam ad communionem admitteretur. Quid hoc quæſo pertinet ad oſculationem ſandalij Papæ & aſſutæ imaginis crucis & Chriſti?

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Nullius etiam momenti eſt quod Conſtantini Magni fictitiam donationem proponit Genebrardus; iampridem enim lippis & tonſoribus notum, hoc falſum inſtrumentum effictum fuiſſe tempore Leon. 9. Pap. circiter annum Dom. 1050. quodque Laurentius Valla illud euidentiſſimis teſtimonijs refutauit, de quo nos alibi latius diſputamus.

Miſerè etiam abutitur Genebrardus Ambroſij & Auguſtini teſtimonijs, vt ex illis inferat Papas adorandos per oſculationem pedum, id quod perſpicuum erit integra teſtimonia legentibus, quæ in hunc finem adſcribam.

Ambroſ. libro de dignitate ſacerdotali, cap. 2. Honor igitur (inquit) fratres, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferius quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla & principum ſummitti genibus ſacer-

ſacerdotum, & oſculatis eorum dexteris, orationibus eorum credent ſe communiri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, cui non ſolùm præferri à Domino meruit, ſed vt eam quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatum eſt Euangelicis? Sic certè à Domino ad beatum Petrum dicitur: *Petre amas me?* Et ille: *Tu ſcis Domine quia amo te.* Et cum tertiò fuiſſet interrogatus & trina reſponſione fuiſſet ſubſecutus, repetitum eſt à Domino tertiò: *Paſce oues meas.* Quas oues, & quem gregem non ſolùm tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes. Vnde regendæ ſacerdotibus cum traduntur, meritò rectoribus ſuis ſubdi dicuntur, quia Euangelico coruſcante mandato videmus nihilominus eſſe præfixum: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum, ſed ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo ſicut dominus eius.* Vbi manifeſtum eſt, Ambroſium ad morem omnium qui pœnitentiam ſolenni ritu agebant, alludere; quando enim recipiebantur, genibus flexis coram Epiſcopo orabant, eiuſque dextram exoſculabantur. Hic ritus communis erat omnibus Epiſcopis, & ad Papæ adorationem nihil facit.

Locus Auguſtini, tom. 7. Serm. 18. de verbis Apoſtoli, non pertinet ad pœnitentiam, ſed ad Epiſcoporum poteſtatem liberandi captiuos à carcere; verba eius ſunt: Cogita quomodo tremebas ſi tibi aliquis calumnietur, ne mittaris in carcerem: & tu ipſe contra te malè viuis vt mittaris in ignem? Contremeſcis, conturbaris, palleſcis, ad Eccleſiam curris, Epiſcopum videre deſideras, ad pedes eius volutaris. Quærit, quare? Libera me. Quid agitur? Ecce ille mihi calumniatur. Et quid tibi facturus eſt? Domine concutior, Domine in carcerem mittor, miſerere mei, libera me. Ecce quomodo timetur carcer, quomodo timetur concluſio, & non timetur gehennæ exuſtio? Manifeſtum eſt Auguſtinum hic loqui de homine qui petit à carcere liberari.

Quod de Iuſtiniano primo & ſecundo (ait Genebr.)

commentitium est, & à nouis Pontificijs scriptoribus adinuentum. Sed demus occœcatos Imperatores superstitione Papali adorasse Papas, non inde sequitur Anthropolatriam Papalem esse licitam: nam secundùm doctrinam Ecclesiæ Catholicæ contra Samosatenum & Nestorium, adorare Christi humanam naturam, si vt illi docuerunt separata esset à Deitate, non licuisset; adorationem enim Nestoriani Christi vt anthropolatriam condemnat Concilium Ephesinum.

Sic ridiculum & absurdum est, quòd Genebrardus Papæ adorationem confirmare nititur exemplis adorationis ciuilis, quæ Imperatoribus & Regibus exhibetur: non enim confundenda ciuilis adoratio cum adoratione religiosa. Reges ob causam ciuilem adorantur, Papæ verò religionis prætextu diuinum hunc cultum exigunt. Hæc sufficiant, vt nugas & cauillationes Genebrardi refutemus, quamuis reuera irridendæ potiùs quàm refutandæ sint. At ipse Genebrardus veritatis robore tandem victus, palinodiam videtur canere; nam post omnes allegationes his verbis concludit: Tu ergo (inquit) hæretice tuos adorato principes, more Persico, nos nostros non adorabimus, sed mitiore vocabulo honorabimus, osculabimur, & cum pacis osculo monebimus: *Reges Gentiũ dominantur, vos autem non sic.* Quanquam velim eos id, pro Apostolica modestia, negligere, multo minus, saltem extra solennes conuentus, exigere.

Hic obseruet lector Christianus, Genebrardum apertissimè negare se suæque factionis Pontificios, adorare Papas, sed eos honorare, & osculo pacis monere; & viros Apostolicos non debere imitari reges Gentium, huncque Papalem ritum esse alienum à modestia Apostolica.

Sed quid hoc ad adorationem Papæ? nam osculatio pacis omnibus Christianis ex æquo inter se mutuo danda, neque vllam sibi hoc nomine Papæ præeminentiam arrogare possint. Cur ergo Genebrardus adorationem Martino 5. Papæ à Sigismundo Imperatore in terram prostrato exhi-

exhibitam, aliorumque Paparum adorationes per oscula pedum supra approbauit, nunc verò ab Apostolica modestia illam esse alienam affirmat?

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Sed de cruce sandalio affixa, quam omnia Papana mancipia oculo cum Papa adorant, altum est apud Genebrar. silentium; crucis verò adorationem impugnare in Papæ schola horrenda est hæresis.

FINIS.